BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 M
Π29

12.19. E. 13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


IO. NICOLAI
EVSTACHII GAMBATENS.
CIVIS BENEVENTANI, MEDICI PHYSIC.

OPVSCVLVM DE AERE,
Situque Beneuentanæ Ciuitatis;

IN QVO PLVRIMA AD REM Medicam, Philoſophiam, Geographiam, ac Aſtronomiam pertinentia, diſſeruntur.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



NEAPOLI, Ex Typographia Io. Baptiſtæ Subtilis.
Apud Scipionem Boninum. M DCVIII.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. POMPEIO ARIGONO

CARDINALI AMPLISSIMO
Beneuentanorum Archiepiſcopo vigilantiſſimo,

ACCONTRA HAERETICAM
prauitatem, Supremo Inquiſitori.

IOANNES NICOLAVS EVSTACHIVS
Gambatenſanus; Ciuis autem Beuennus
A. & M. D.

Fœlicitatem exoptat.

ILLVSTRISSIME POMPEI, Libellum edidi, De Situ, ac Aëre Beneuentanæ Ciuitatis; cui autem dicarem, neſciebã: duo enim ei, cui Libellus dicaretur, neceſſaria fore putaui. Primum, quod ſit potens Secundum, quod ſit rei in Libello tractatæ ſincerus amator. Potens, vt optimis eius Auſpicijs in lucem prodiens, maiorem ſibi Auctor à Legentibus fauorem conciliet; ac opus poſitum in Ampliſsimi Homi-

Digitized by Google

nis Authoritate, plus quodam pacto habeat grauitatis; ac tandem, vt detractorum morſibus tutus reddatur. Amator, vt omni officio, ac pietate, rem quam amat, defendat. Amor enim eſt deſiderium quoddam, quo rei amatæ benè eſſe optatur. & quod huiuſmodi ſit, illud moſtrat; quòd res illa ſi benè ſe habeat, lætamur, ſi malè triſtamur. Qua propter diù mecum ipſe perpendens, quemnam huiuſmodi fautorem inuenirem; Potentem videlicèt, & rei Beneuolum: tandem te Illuſtriſsime Domine elegi. Quarè licèt D. Ioannes Martinus Euſtachius meus cariſsimus Patruus, duo pulchra, ac docta Opuſcula; Vnum Illuſtriſsimo FERDINANDO II. DE CAPVA Termularum Duci: Alterum Illuſtriſſimo ANNIBALI DE CAPVA Neapolitanorum Archiepiſcopo; & D. Donatus Ferrus meus Leuir; & D. Bartholomæus quoque Euſtachius, quędam alia erudita Opera Illuſtiſsrimo IVLIO FELTRIO DE RVVERE Cardinali ampliſsimo dicauerint: non tamen illis inuideo, cùm te mei Opuſculi Fautorem habuero. quarè illud, quaſi primitias frngũ, ex Medicorum, Philoſophorum, Geographorum, ac Aſtrologorum lo-

cu-

Digitized by Google

cupletiſsimo Horreo, falce mei iuuenilis ingenij collectarum, Ampliſsimæ Dominationi Tuæ; omni, qua poſſum humilitate, atque alacritate dicare, atque offerre decreui: ipſa enim Potens eſt; ac rei tractatę, ſcilicèt Aëris, Situſque Beneuentani Amator. Quis potentior POMPEIO ARIGONO? omni virtutum genere ornatiſsimo Christianæ, Reipublicę ornamento, ac Pietatis, & Religione fulgentiſsimo ſydere? Quis (Illuſtriſsime Cardinalis) tuam Lenitatem, Fortitudinem, atque Magnanimitatem non admsratur? Quanta ſit Pietas, dicant tui deuotiſsimi Beneuentani. veniſti ad Nos, vt mitiſſimus Moſes; vt ſcelerum laqueis ſolutos ad cœleſtem Patriam duceres; ac vt fortiſsimus Ioſue, vt aduerſus immaniſsimos hoſtes pugnans, victores redderes. Quanta ſit Liberalitas, dicat Metropolitanæ Eccleſiæ Reuerendum Capitulum, quod magna omnium admiratione, pluſquàm ſex millia aureorum, donationis titulo, elaborati argenti, cæterùmque prætioſarum rerum, à ſuo benigniſsimo Domino recepit. dicant tot, tantaque Monaſteria; tot, tantique pauperes, qui in diem larga manu recipiuntur. dicant omnes, qui Metropolitanam Ec-

cle-

cleſiam vident; quanto impendio illam reficiat; quamuis ad huc ſit in principio, adeò à prima obſcura, & deformi differt; vt ferè alia eſſe videatur. Quarè ſicut Pompeius ille Antiquus ex rebus actis & auctis, Magni inditum eſt nomen; ſic tibi nouo Pompeio, Magni nomen iure debetur. Ille ſua integritate ad tantam gloriæ peruenit celſitudinem; tu verò eadem ad purpuream Dignitatem. Ille honoris diligens obſeruator; tu verò obſeruantiſsimus. Illę propriæ Patriæ defenſor; tu Patriæ, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ acerrimus propugnator, ac pro earum fama, honore, atque gloria, ad ſanguinem effundendum promptiſſimus. Taceo reliqua: hanc enim ſcribendi Prouinciam; nec quidèm Cicero ſuſciperet.
Si Amatorem rei in hoc Libello tractatæ quęram: Quis Aëris, Situſque Beneuentani bonitatem (de quo noſter eſt ſermo) magis amore proſequi poteſt; quàm tu. Nam cùm ſis diligentiſsimus Paſtor tuarum Ouium, aptiſsimũ Situm, ac amæniſsimum Aërem optare fas eſt. Et quod hæc duo in te reperiantur ex tuo Scuto apparet. Quid ſibi vult Aquila in aëre, Alis expanſa, ac in ſupremo Scuti impreſſa; niſi te Dominum eſſe, & conſtantem: nam ipſa

Auium

Auium Regina, Iouis Ales, eiuſdemque Armigera exiſtens, radijs ſolaribus expoſita Solis fulgorem oculis inconniuentibus aſpicit: indicat te magnanimum, & fortem, cùm ipſa tutò, per Aërem volitans nihil timet fulminis ictum. connotat tuam etiam vigilantiam cùm ipſa vigilantiſſima per minima etiam eminùs videat, ac oculis apertis dormiat. tandem quid Aquila ipſa, apertis alis in aëre indicat; niſi quod tu pietate omnes amplecteris, & ima deſpiciens, altiora petis. Quid ſub Aquila notat A. videlicèt, & R. niſi quod ſis Amator Religionis: vel quòd in te ſit Amor, & Rigor: quæ duo ſunt vera Imperij fundamenta; ſolus enim Amor aliquandò contemnendum reddit: ſolus Rigor parit Tyrannidem; atque cùm polleas vtroque, amaris vt benignus; Pater & timeris, vt iuſtus Dominus: qui Rigor, & Amor perbellè connotatur à delineatis ſpacijs ſub Aquila, Rubeis videlicèt, & Albis; Rubeæ Iuſtitiam indicant, qua populo timor paritur. Albæ puritatem, benignitatem, ac pietatem oſtendunt, quibus Amor acquiritur. Itaq; tu potens, tu Aëris amator, vt Aquila (de quo eſt noſter ſermo.) Te amant, Te timent omnes, in te fulget Iuſtitia, in te reperitur Benigni-

gni-

Digitized by Google

gnitas. Quæ omnia fuere in cauſa, vt cùm meos hoſcè labores Prælo excudendos traderem, in tuo Nomine miſerim. Accipe igitur, Cardinalis Ampliſſime tua, qua ſoles humanitate, ac benignitate mei ingenij primitias, quod ſi æquè tibi gratæ fuerint, atque ſtudioſè à me oblatæ; meo labori ipſe gratulabor, & ad alia non minùs vtilia edenda, tibique dedicanda prouocabor; & tunc elimatiori Calamo tuam benignitatem, animi conſtantiam, liberalitatem, ac alias nunquam ſatis laudandas virtutes celebrare tentabo; vt poſteri, temporibus noſtris Heroës non defuiſſe ſciant. Interim me tuorum deditiſſimum benigno fauore proſequere, cui Deus fœlicitatis culmem concedat, eumque ad Neſtoris annos producat. Beneuenti die 4. kalendas Aprilis 1608.

Digitized by Google

OPERIS RATIO.

EA eſt hominum indoles, eaque noſtris animis vis è primordio indita eſt, vt cùm rerum cognoſcendarum omnes teneat deſiderium, varij tamen feruntur in varia, eòque rapiuntur omnes, quò vel rei iucunditas, eos traxerit, vel conatus prouocauerit impetus: quarè benè, appoſitèq; Poëta.

Mille hominum ſpecies, & rerũ diſcolor vſus.

Hinc videas aliquos herbarum viribus agnoſcendis intentos, alios arcanas lapillorum perquirere poteſtates, alios admirandam Alexiteriorum veſtigare naturam, alios metalla è conditis rimari mineris, alios elementorum vires expendere, alios quaſi vilia omnia hæc reputantes vltrà mundanam ſpectantes plagam nihil ignoratum, nihil non ap-

Digitized by Google

primè compertum omittere. Verùm cùm tàm multiplex ſit hominum mens, omnibus tamen vna videtur communis, vt quæ ſalutaria ſunt, & benefica internoſcant à noxijs. quo vel ſibi, vel reliquis benè conſulant. Vt enim nihil ardentiùs expetimus, quàm incolumem traducere longæuitatem, ſic curioſiùs nihil perquirimus, quàm eorum, quibus iuuari poſſimus agnitionem. Hùc ſpectat, vel certè principalius ſpectat Philoſophorum, ac Medicorum conſilium, qui cùm ſciant homini hominem, ceù Deum eſſe, nihil prætermittunt, quò prodeſſe cunctis poſſint, & de omnibus benè mereri. Sed cùm multa ſint, ni certè ſint omnia quæ humano ſunt vſui, nihil eſt ſub lunari hac in Scena, aëre, vel ad ſalutem conferentius, ſi ſit ad rem, Hic enim ſolus inſpiratu penetralia ingrediens, cordis ſinus attingit, cordis inquam, quod animæ arx eſt, vitæ initium, ſpirituum conceptaculum, viuificæ facultatis domicilium, quarè quisquis ſanitate, perfrui cupit, aërem ſalubrem perquirat, vel noxium vt declinet, animaduertat. Hæc dixiſſe me, ò Lector benignè, præſtat, & intellexiſſe te, vt mei conſilij compos fieres. Venerat pridèm in dubium apud quoſdam, ſit nè Beneuentanum Cælum, ſolumuè ad habitandum commodum, an potiùs ignauum,

& inep-

Digitized by Google

& ineptum, Cumque varia eſſet apud eos ſententia; operæ pretium facturum me exiſtimo, ſi meam, qualis qualis futura ſit, interponam; non eo animo, vt Cenſorem agam, vel agere velle videar: ſed vt meo, quo poſſum modo hominibus præſto ſim; Id vnum teſtatum apud omnes velim, vt nullum ſit in toto hoc, quamuis re, & mole exiguo opere Theorema, quod vel bonorum Authorum teſtimonio non firmetur, vel rationibus non comprobetur; quæ ad rem ſint, an non, alij ſunto Iudices. Diſſeram de ſitu Beneuentanæ Vrbis tùm Geographicè, tùm Chorograficè, ſuo loco communia quædam præmittens ſpecialibus, nè ſi quid rebus deſit, deſit quicquam ordini.

(·;·)

Digitized by Google

CAP. I.

De vi loci, ſitus vè, quem quis incolit.

SITVS nomenclaturam deducit à poſitione, Iſidoro teſte libr. 2. cap.27. Etymol. Etenim quamquam Poſitio è Gilberto Porret. lib.de vi princ.cap.6. eſt ordinatio quædam partium, & generationis; latiori tamen voce ſita res dicitur, cùm vel ad totum, vel ad locum hunc vel illum habet reſpectum.

Vim magnam Oppidorum, Vrbiumuè ſitum habere, diſces facilè, cùm quod Hip. lib. præcept. & de aëra, aquis, & locis eum magnificiat, tùm quod eas vires habeat, quas nunc ordine recolo. Gentes dirimit, mores diſcriminat, corpora multis formis donat, & ſi laudandus ſit, robur addit, ingenia eleuat, eloquentiam præſtat, ſalubritatem, vitæque longitudinem affert: hinc diuerſæ Orbis Regiones, prout bono, malouè gaudent ſitu, benè, vel malè vita, moribuſque afficiuntur. Boreales inquit Ptolemæus, feroces, peruicaces, truceſque ſunt. Et Iuſtino referente iactant Romanorum, quorum erat olim vbique gentium formidanda potentia, audiuiſſe, non ſentijſſe arma: Itali benigni ſunt, hoſpitales, amicitiarum ſtudioſi, imperare gaudentes, Non diſſimiles ſunt ab his Græci, verùm quàm Itali læues magis, vt Maternus ait; Arabes errones, & fures; Armeni inconſtantes; Aſiani libidinoſi; Siculi

acris,

acris, acutique ingenij; Hiſpani elatæ iactantiæ animoſitate excellentes; Egyptij ſapientes; Babilones prudentes.

Addam ex Vitruuio, eos, qui rigentia mundi, ac gelu torpentia loca inhabitant, vaſtis eſſe corporibus, colore albo, recto, rufoque capillo, oculiſq́ue cæſijs: qui verò exuſtas à Sole mundi plagas incolunt, breuioribus eſſe corporibus, colore fuſco, vibrato capillo, oculiſque nigris. Et vt ad componendos mores, vitamq́ue ducendam commodiùs confert benè ſita Regio, ſic certè ad eos commutandos, Vegetius, teſtimonio Lypſij, grauiſſimus Scriptor conſulebat, Tyrones, Septentrionales eligendos, vt qui nec timeant, nec exhorreſcant præ ſanguinis copia, ſed ad bella promptiſſimi ſint. Verùm cùm Solis ardores eminùs ſuſcipiant, incultiores ſunt, ingenio ſimplices, & læuiſſimi conſilij, ſiquidem ab infuſi cœli craſſitudine refrigerati, ſtupidis ferè naſcuntur mentibus, viribus tamen pollent, & vt ait Trogus, & Florus maiora facere, quàm deliberare nouerũt; Quarè perducendos Romam forè, vt hinc militarem diſciplinam compararent. Sic polo Auſtrali vinciniores nimio exardent calore, & vt ait Gale. 2. de temp. cap. 4. ſanguine ad cutem exeunte viſceribus fiunt frigidiuſculis, hinc nec iracundi, nec audaces, nec magnanimi ſunt, quæ artis bellicæ, vel ſunt igniculi, vel fundamenta, quod perbellè expreſſit Lucanus his verſibus.

Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit, gentes clementia coeli

Om-

Omnes in Arctois Populis quicunque pruinis
Naſcitur indomitus belli eſt, et mortis amator.

Sed & maiores noſtri, Priſcique quorum mens ſemper erat ad egregia, & glorioſa facinora, ſitus Vrbium bonitatem magnifacere, nec certè minùs, quàm reliqua. Vrbem Romam totius Orbis caput, Imperij Sedem, virtutum emporium, fecere, quod temperato, benignoq; ſub cœlo ſit. quod Quirites ipſi gens alioquin acris, incorruptique iudicij animo reputantes Capuam, & Corinthum (vt Carthaginem omittamus, cuius eruendæ funditùs alia erat ratio) delere omni ſunt cum labore enixi, ne ſitus, ac aëris bonitate illecti homines eò accurrerent numeroſi, quibus deindè vel Romanis inſultare, vel vim inferre, vel ſanè negligere poſſent; Chalcedonenſes Oraculi reſponſo ſunt deriſi tanquam amentes, & luce orbati referēte Vitruuio, qui cū potuiſſent pro Ciuitatis ſitu meliorem eligere locum, in quo nunc Imperiale Celſum Turrigerumq; Byzanzium reperitur, Vrbem in Aſia condiderunt in oppoſito ſitu minus ſalubri, minuſq; apto ad omnia quæ egregiam Imperialem, fœlicemque reddunt Ciuitatem.

(·;·)

CAP.

Digitized by Google

C A P. I I.

Diuiditur ſitus in Geographum, & Chorographũ.

DVPLEX eſt ſitus Geographus, & Chorographus authore Ptolemęo, lib. 1. ſuæ Geograph. Geographus eſt loci alicuius deſcriptio reſpectu totius Orbis, qualiter ſe habeat ad eum, qualiterque cætera loca inter ſe ſuis locationibus diſponantur, quo in climate ſit, quibuſq; cœleſtibus parallelis ſubijciatur, ex quibus dierum, atque noctium magnitudines nobis palàm fiant, & quæ fixorum Syderum illo loco ſuprà verticem, & quæ ſuprà terram, quæque infrà perpetuò verſantur. Chorographus ſitus, eſt deſcriptio loci ipſum per partem referans ſeorſum ſingula, ac vnumquodque iuxtà ſe conſtituens, omnia etiam minutiſſima explicans, veluti Colles, Montes, Flumina, Portus, Turres, Mænia, Vicos, Riuulorum quoque decurſus, & quæcumque alia illis finitima ſunt, &c. Nullum dicens reſpectum ad totum Orbem, climata, parallelos, atque polos. Hæc præmiſſa iàm ſint, vt libeat in hoc campo faciliori methodo procedere. Erant enim hæc & vniuerſalia, & perquàm neceſſaria ad ea, quæ ſumus dicturi. Siquidem ordo doctrinæ expoſcit, vt quæ communia ſunt, conſiderentur priùs, deindè ad propria deſcendemus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.
Quæ ad loci ſalubritatem, bonitatemque requirantur.

CVM vniuerſim ſint noſtra corpora caduca, & corruptibilia; ſic etiam partes quibus compacta ſunt, vt partium, totiuſque ſit vna, & communis conditio, quarè labuntur in dies, ſicciora que fiunt, continenti alteratione, idque, vt Galenus ait 1.aphoriſm.comm.14.quotidie fit cum augemur. Alterantur autem tùm ab externo, cui ſubijcimur calore, tùm ab interno, quo viuimus, & regimur, 7.aph.60.quod niſi res ita ſe haberet, nulla eſſet ars, quę nobis curandis præfigi deberet lib.art. medicin. ca.84. quo etiam ſpectat illud Philoſoph. 10.Ethic. cap.9. ni homines eſſent quandoque in crimina lapſuri nulla eſſet illis corrigendis adhibenda lex, aut Legislatoria diſciplina: Conſtat autem noſtrum corpus tribus, videlicet ſpiritibus, humoribus, & partibus ſolidis, quæ ab Hyp.7. ſect.libr.6. Epid. (referente Galeno) 1.de differ.febr. cap. 1. & lib.de rigo.& trem.cap.4.dicuntur impetum facientia contenta, & continentia; hæc pariter caduca ſunt, & internis, externiſq; iniurijs obnoxia; cùm ad Elementa ſuam referant originem. His reparandis natura morborum medicatrix ex Hip.6.epid. com. 5.tex.1.Et cùm non ſit deficiens in neceſſarijs 3.de anima tex.45.& 1.cœli text.32.& 2. cęli 50. & 59.

ſua

Digitized by Google

milibus, & familiaribus 1. de ſemine cap. 11. reparandis ſpiritibus dedit aërem;humoribus irrigandis aquam, membris reſtaurandis cerealia,carnes, fructus,& reliqua huius generis ſolidiora,quorũ tellus eſt fœcunda,& grata parens: Aëre igitur fœlici laudabilique, aqua omnis vitij experte, & terra frugifera;neceſſe eſt lætus ſit,& diues locus,quem ad habitandum commodum cenſebimus, &, vt aëris encomia multa omittamus, is,talis eſt,vt niſi ipſe vſui ſit, nullus queat curari morbus, Doctiſſ. Valles docet non curandum ægrum, qui ab aëre feruido febrire cæperit; niſi aëre ab illo remoueatur;hinc etiã Gal. 9. Methæor. cap. 14. ſic ait, Aër eſt ſine quo, nec tolli morbus, nec teneri ſanitas poteſt; habet enim rationem cauſſæ,ſine qua, non.

Terra laudatur quæ ſegetum vbertate gaudet, cuius pecora prægrandi corpore, & veſcis carnibus prædita ſunt, cui genus omne fructuum, tùm qui horarij dicuntur, tùm qui cereales ſunt, innaſcitur, iiq; non Cachochimi; ſed Euchimi ſunt: his ſi ſedulo alantur Incolæ; non eſt; cur morborum metuant inſultum;Aqua quantum ad nos attineat,norunt omnes; huius auſtu æſtum caſtigamus, ſitim demulgemus, vini iniurias deuitamus, hæc alimenti Vehiculum eſt auth.Gal. 5. de vſu part.ca.4. quæ græcè ab Hipp. lib.de alim. fuerat nucupata, ὀχῦμα Τροφῆς. hinc Phil.20.ſett. problem. 14. monebat aëris minùs; quàm aquæ mutationes eſſe grauiores; Horum ergò trium maximè eſt habenda ratio; Verùm aëris magis,vt qui quadam tenus reliqua dignitate ſuperet in hoc, & per hunc viuimus; hoc vno

niſi attrahatur, & inſpirato, emorimur, 5. de locis aff. cap. 1. Verſamur autem in aëre, & vitam in eo ducimus ex Gal. lib. de opt. ſet. c. 8. lib. art. med. cap. 85. & 11. Methæor. cap. 8. tùm quia nobis eſt circumfuſus, nec poſſumus eius effugere cõmercium, tùm quia per arterias, quæ ad cutim pertingunt, attrahitur ad viſcera, præter bonam eius copiam, quàm inſpirando introrſum conuocamus; Quarè Veteres, quos & Cicero ſequutus eſt lib. 2. de nat. Deor. aërem animabilem ſpirabilemq; dixerunt.

C A P. IIII.

De Situ Geographo Beneuenti.

CREDITVM, traditumque eſt à maioribus quaſi per manus, Beneuentum à Diomede Aetoliæ Rege, eiuſque Comitibus fuiſſe conditum eodem tempore, quo ferè dulcis Parthenope fuit extructa Anno videlicèt 2804. ab Orbe condito, & 1163. antè Virgineum Partum, non in extremis Regionibus poſitum; ſed ferè in media medium propè ſitum tenens parum ad Occidentem, Septentrionemque vergens in Italia apud Sannium inter Caracenos, Pelignos, & Campanos in 41. gradu longitudinis, & 41. gradu, & 20. min. latitudinis in 5. Climate Veneri ſubiecto in parallelo 13. per Helleſpontum, & Romam tranſeunte, qui eam meridia-

Digitized by Google

diano habet proportionem, quam habent tria ad quatuor, differẽs ab Aequinoctiali horis ferè tribus diemque habens maximum horarum quindecim ſub ſigno Virginis quę eſt Domus Mercurij; Hinc planè colligi poteſt Beneuentanos à Mercurio habere corpora mediocris ſtaturæ ad magnitudinem potiùs, quàm ad paruitatem tendentia, faciem habere vt plurimùm longam, ac benè coloratam, frontem eleuatam, concinnos oculos ſub nigroſque: Extenuata labia, tenſoſque capillos; Si verò animi dotes expendamus, Sapientes, Argutos, bonis moribus præditos, Philoſophiam, ac Poëticem diligentes inueniemus; conuertibilis naturæ; ac conuerſatione mutabiles; Cum bonis enim optimi; cum malis autem peſſimi efficiuntur; Mercurij Vires ex dyſtico comprehendes iſto.

Mercurius fingit diuinos arte Poëtas
Solertes, doctos, blandos ſermone fideles.

Verùm cùm ſint in quinto Climate corpore pulchro ſunt libidinoſi, blandi, eloquentes, dulcibus, & penè effeminatis verbis; Datur enim hoc Clima Veneri; Ratione verò ſitus vniuerſi, præſtantes, egregiarum rerum ſunt amatores, audaces, forteſque ita vt nihil deſit deſiderabilium in eis.

Quid magnanimitatem, & prudentiam in bellis gerendis optat? Recole tot, tantoſq; Beneuentanorum Duces. Romoaldum præcipuè, quanta dexteritate, ac animi fortitudine, Conſtantium Grecorum Imperatorem Ciuitatem obſidentem expulerit.


Delectat Conſtantia, & animi fortitudo? Quis con-

ſtantior Geſualdo? qui inter medias Hoſtium manus Romoaldo obſidione depreſſo Patris auxilium breue ad futurum prædixit, vitamq; pro Ciuium libertate contempſit.

Placet Pietas? Sicardum Beneuenti Ducem intuere. qui Anno 827. dùm Saraceni ſumma animi feritate Siciliam, totamq; ferè Italiam deuaſtare conarentur, ipſe ſumma animi pietate Corpus Sancti Bartholomei Apoſtoli Beneuentum tranſtulit.

Vide etiam Theodatam Romoaldi Vxorem, quæ operoſum, celſumq; Templum extruendum iuſſit, atq; curauit Diuo Petro extra mænia dicatum. Manubijs quæ ex captis, & debellatis Ciuitatibus Apulis Romualdus Beneuentum attulit; Et tandèm breuiter dico ex hac Ciuitate in lucem prodijſſe Viros innumeros, laude dignos, Armigeros, Iuriſperitos, Philoſophos, Legatos apud Summos Pontifices, Regios Commiſſarios, Iudices, & Conſiliarios, Inſuper Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Cardinales, vtque Apicem pertingam Summus Pontifex Gregorius VIII. ex hac Ciuitate, & ipſe proceſſit; Et licèt non me lateat ex ſumma Dei prouidentia eos ad huiuſmodi dignitates euectos fuiſſe, tamen (ſi ita loqui fas eſt) non nihil conferre videtur ad bona fortunæ ſublimitas Situs; ita Deo diſponente, & ima per media gubernante. Sed ad Situm Chorographum deſcendamus.

Digitized by Google


Situs geographius
Descriptio Geographia
Siena 34 longit:
Siena 42 gr. & 30 m. latit.
Roma 36 4 longit:
Roma 41 40 latit.
Aqla 39 longit.
Aqla 42 gra & 15 m. latit.
Beneuentum.
Beneuent. 41 longit.
Beneuento 41 gr. & 2 mi latit.

TABVLA CLIMATVM Parallelorum, & augumenti longioris diei ſuper diem Aequinoctij, ad hoc vt ſciatur Parallelus, & Clima vbi adeſt Beneuentum, & augumentatio longioris diei ſuper diem Aequinoctij.

Paralleli	Climata	Altitudo Poli	Maximus dies	Loca per quæ tranſeunt Paralleli.
P.		G M	H M	
1	o	o o 1 2 3	12. o	Sub Aequinoctiali,& tranſiẽs per inſulam D. Thomæ, & eſt Aequator dierum ſiuè Aequinoctialis habet diem horarum 12.ſempercõtinuò, & vnus gradus longitudinis continet miliaria 60.
2	o	4. 18 5 6 7	12.15	Tranſiens per Melac,& per inſulam Taprobanam, hodiè Summatram appellatam, & eſt ſecundus Parallelus differens ab Aequinoctiali quindecim minuta habens diem maiorem hor. 12. min. 15.
3	o	8. 34 9 10 11	12.30	Iſte eſt tertius Parallelus differens ab Aequinoctionali min. 30. diem habens maiorem ho. 12.m.30.tranſiens per inſulam quandam Auium appellatam quæ eſt circà ſummatam.

TABVLA CLIMATVM Parallelorum, & augumenti longioris diei ſuper diem Aequinoctij, ad hoc vt ſciatur Parallelus, & Clima vbi adeſt Beneuentum, & augumentatio longioris diei ſuper diem Aequinoctij.

Paralleli	Climata	Altitudo Poli	Maximus dies	Loca per quæ transeunt Paralleli.
P.		G M	H.M	
4	1 prin-cipiū	12.43 13 14 15	12 45	Iſte eſt quartus Parallelus differens ab Aequinoctiali m.45.habens diē maiorem hor. 12. min. 45. gradus vnus continet miliaria 59. & eſt principium primi Climatis tranſiens per Ciuitatem quandam Indiarum extra Gangē, Malthuram appellatam.
5	1 medium	16.44 17 18 19	13. 0	Quintus Parallelus per Meroem tranſiens differens ab Aequinoctiali hor. 1. habens diem maiorem ho. 13.& eſt Climatis primi medium.
6	pr.finiş. ſec. prin.	20 34 21 22 23	13.15	Sextus Parallelus differens ab Aequinoctiali hor. 1. & min. 15 habens diem maiorem hor. 13.m. 15. & eſt finis primi Climatis, & principium ſecundi.


Digitized by Google

Paralleli	Climata	Altitudo Poli	Maximus dies	*TABVLA CLIMATVM Parallelorum, & augumenti longioris diei ſuper diem Aequinoctij, ad hoc vt ſciatur Parallelus, & Clima vbi adeſt Beneuentum, & augumentatio longioris diei ſuper diem Aequinoctij.* Loca per quæ tranſeunt Paralleli.
P.		G.M	H. M	
7	ſec med.	24.11 25 26	13.30	Septimus Parallelus differēs ab Aequinoctiali h. 1. & m. 30. & eſt Tropicus Cancri per Sienem tranſiens habens diem maiorem h. 13. m. 30. & eſt medium ſecundi Climatis cuius gradus continet miliaria 57.
8	ſec. f. tert. prin.	27 36 28 29	13.45	Octauus Parallelus defferens ab Aequinoctiali h. 1. m. 45. habens diem maiorem hor. 13. & m. 45. per Sinum Perſicum, & per Tolomaidam in Thebaide tranſiens, finis ſecundi Climatis, & tertij principium.
9	tert. med.	30 48 31 32	14 0	Nonus Parallelus differens ab Aequinoctiali h. 2. diem habens maiorem hor. 14. tranſiens per Alexandriam, per Egyptum, & quaſi per Hyeruſalē Climatis tert. med. eiuſque gradus miliaria 54. continet.

Paralleli	Climata	Altitudo Poli	Maximus dies	*TABVLA CLIMATVM Parallelorum, & augumenti longioris diei ſuper diem Aequinoctij, ad hoc vt ſciatur Parallelus, & Clima vbi adeſt Beneuentum, & augumentatio longioris diei ſuper diem Aequinoctij.* Loca per quæ transeunt Paralleli.
P.		G M	H.M	
10	3.fin. 4 principiũ	33 46 34 35	14.15	Decimus Parallelus per Cretam, ſiuè Candiam tranſiens per feniciã, per Damaſcum, per Limpaduſam, differens ab Aequinoctiali hor. 2. min. 15. diem habens maiorem ho. 14. min. 15. & eſt fin. 3. Climatis, & principium 4.
11	4	36.70 37 38	14.30	XI. Parall. per Rodũ Ciprũ, & ſiculæ Trapanã tranſiens differens ab Aequinoctiali h. 2. m. 30. habens diem maiorẽ h. 14. m. 30. & eſt med. 4 climatis, & eius gra. cõtinet miliar. 50
12	4 finis. 5. prin.	39. 3 40	14.45	XII. Parallelus differens ab Aequinoctiali hor. 2. & min. 45. diem habens maiorem hor. 14 min. 45. finis eſt 4. & principiũ 5. Climatis per Liſbonam, per Smirnam, & per ſiculũ farum tranſiens.

Digitized by Google

				TABVLA CLIMATVM Parallelorum, &c.
13	5. medium	41.23 42	15. 0	XIII. Parallelus differens ab Aequinoctiali hor. 3. diem habens maximum hor. 15. & eſt medium 5. Climatis per Romam, Neapolim, Corſicam Helleſpontum, & Troiam, Toletum, & Beneuentum tranſiẽs.



Digitized by Google

C A P. V.

De Situ Chorographo Beneuenti.

BENEVENTVM Diomedis, & Græcorum opus Aprutij quondā, & Apuliæ, totiusq; ferè Campaniæ Caput, tùm magnitudine, tùm antiquitate, Imperioq; Nobile conditum reperitur in plano, cuius ſuperior pars ſupra pedes cuiuſdam humilis patuli, ſupinique Collis iacet, vna via lateribus conſtructa nō admodùm lata à capite, vſq; ad pedes totam Ciuitatem percurrit, vicos habet quamplurimos laterales, Templa multa Sanctorum reliquijs ornata; Domorum ſtructura non admodum alta; ſed mediocris, Gaput Ciuitatis feriunt Orientales radij Solis, pedes verò Occidentales. Si quidèm iacet inter Brumalem Cœli ortum, itidemq; Occaſum; Duo latera eius, duo Flumina irrigant, a dextris, ideſt Septentrione rapidus Calorius; à ſiniſtris ſcilicèt ex meridie frigidus, curuuſque Sabbatius reperitur. Qui duos babet Pontes marmoreos magnæ ſtructuræ; vnus ad Portam Rufinianam ducit, quæ meridiem Ciuitatis tenet, alter verò qui Leproſus dicitur, apud quem ferunt, Cineres eſſe Regis Manfredi à Carolo Andegauenſi propè Vrbem in prælio victi, per Portam S. Laurentij ad pedes Ciuitatis ingreſſum præbet, & quà via Appia antiquitus ducebat,

Digitized by Google

cuius in hunc vſq; diem veſtigia quamplurima viſuntur. Super hoc Flumen molæ frumentariæ multæ ſunt ad communem Ciuitatis vſum, & commodum. Fluuius verò Calorius Pontem habet ingentem lapideum, quo ad Portam Ciuitatis venitur, quæ ab ipſo Flumine nomen accipiens, Caloria appellatur. Ex hoc etiam latere plures etiam ſunt Portæ, inter quas eſt Aurea ab auratis marmoribus, figuriſque ſummi artificij Troyani Triumphum exprimentibus, Opus quidem arte, & re verè aureum. Fluuius vterque ex Tremulis diuerſis tamen Montibus ab ortu Solis originem ducit, in pede autem Ciuitatis ſummo amicitiarum fædere copulantur. Circumuallatur inſuper Ciuitas Montibus plurimis, ad Meridiem quidem ſunt Montes alti frondoſi, opaci, & arboribus onuſti, ad Occaſum ſunt item Montes ſaxoſi, & ſteriles ab Oriente Brumali ſunt quidam humiles Colles. Verùm à latere Meridiem verſùs eſt Mons non admodùm altus, delicatus verò, & frugifer, vbi & hominum habitatio conſtructa reperitur, quam Montem Fuſculum dicunt; alij circumſtant Montes à dexteris, & à ſiniſtris, verùm humiliores, virentibus herbis, pecoribus, & hominibus pabulum præbentes; disiungunt verò Ciuitatem à Montibus dulcia, pinguia, & lata arua, fertiles agri, vineæ florentes, horti denique omni herbarum genere, ac olerum redundantes, quippè cum fluminibus irrigati, ariditatis moleſtiã non patiantur, in hoc ergò ſpatioſo loco præter panem, vinum, & oleum (quorum copia finitimis etiã Ciuitatibus ſufficiens eſt) nihil eſt amplius, quod deſide-

ſide-

Digitized by Google

ſiderari poſſit, hic florida, ac ridentia prata, hic candida lilia, quæ tepente, Zephyri auræ recentia ſeruant, hic in viridi ſtipula lactantia frumenta turgent, hic triumphalis laurus, Abies, enodis, nautica Pinus, annoſaq; quercus conſpiciuntur, nec deſunt virides gramine Apioque ripæ tenues, recenteſque aquæ, & tandem vbique in huberrima copia grauidæ fruges. Iucundum quoque eſt in tota hac Regione lanigerarum ouium intueri, formoſas Iuuencas, robuſtos, luctanteſque Iuuencos, Columbarum denique domeſticarum, agreſtiumque, & omnis fere generis Auium non modicus numerus pro ciborum vſu reperitur. Poſtremò non deſunt auratis Aequitibus, & Venatoribus ſuæ gaudia curæ, ſæpè enim Aequites ſpumantes, furenteſque Equos agitando, auritos ſequuntur lepores; Venatores rapidos commouendo canes timidos inſectantur Capreolos, ſæuoſque Apros; hinc multoties videtur auceps, illinc vtroque flumine piſcantes, vndè Plinius aiebat. Hæc Regio fertiliſſima eſt, & in ipſa ſummum eſt liberi Patris, & Cæreris certamen, hæc dicta ſint de Situ Chorographo. Quæ autem ad aëris bonitatem requirantur, vedeamus.

* * *

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP.


S
situs Corographus.
mōte.uergine
L
mōte fuſcolo.
colline
pianure.
Beneuetum
P
G
T
M

C A P. V I.

De Aëris bonitate, vel malitia quoad ſubſtantiã.

EX tribus coaleſcere dicebamus Situs bonitatem, quorum primum locum obtinet Aër vtpotè nobilior aqua, & terra, quarè meritò vt promiſimus, de Aëre nunc tractare incipimus.

Accipitur autem Aër tripliciter conſentientibus Medicis vniuerſis; Primò prout eſt vnum ex quatuor Elementis Corporum naturalium compoſitionem ingredietibus; Num autem formaliter, virtualiter relinquimus Scolaſticis. Deſcribitur verò tùm ab Auic. 1.pr.doct.2.c.ſing.tùm ab omnibus Philoſophis, vel eſſe corpus ſimplex calidum, & humidum, leue comparatiuè cuius locus eſt ſuperficies concaua ignis conferens rebus vt rare fiant ſub tilientur, alleuientur,& ad ſuperiora tendant.

Secundò,accipitur prout eſt vna ſex rerum non naturalium,vt Medici aiunt, & ſunt aër,cibus,& potus, ſomnus,& vigilia,motus, & quies, animi perturbationes,& tranquillitas excreta, & retenta dicuntur non naturales,quia poſſunt prodeſſe,& obeſſe iuxtà vſum earum.

Tertio modo accipitur,prout eſt res facta contra naturã,.ſ.quando eius ſubſtantia in putredinẽ peſtilẽtiæ inductiuã,permutatur,vel in qualitatem peſſimam.

De Aëre ergò ſecundo modo accepto erit ſermo, qui iuxtà Doct.Auic. 1.2.doct.2.c.2.in princ.eſt emanatio quędã noſtris aduenienſ ſpiritibus,qui veluti tẽperans,& conſeruans meliorationis exiſtit ipſorum, Hic aër aliquandò poteſt Incolentes afficere ſubſtã-

tia, vel qualitate; ſed dicamus modo de ſubſtātia, de qua dicebat Gal. lib. 1. de tuenda valet. ca. 11. Aëris ſubſtantia pura eſſe debet, ac tenuis, & quæ talis eſt plurimum nobis confert, tùm ad alia, tū ad ſpiritus conficiendos, Gal. 11. Meth. meden. c. 3. & libr. 7. de vſu partium cap. 8. ſine quibus vita conſtare non poteſt, perfectum igitur ſitum habent, qui ſereno, ac tenui aëre perfruuntur, vndè verſùs.

Si cupis incolumen vitam traducere cœlum
Effuge corruptum nebulis nidore, lacunis,
Quodque mouet madidus morboſis Africus auris.
Purum ama ad Solem vrgentem, & lumine apricum
Purgatumque Euro, & Boreali frigore terſum.

Aër verò malus eſt ille, qui fuerit vel nebuloſus, obſcurus, vel craſſus, vel grauis, vel putris, vel tota ſubſtantia alienus, nebuloſus, & obſcurus erit propter exhalationes, & humores, qui cū ipſo commiſcentur, qui ab omnibus tanquā prauus euitatur Gal. 1. de tue. valet. c. 11. nā nebuloſus, & caliginoſus ſpiritus ſimilesin nobis generat, tribuit. n. aër materiā ad ſpiritus procreandos, quos neceſſe eſt, vel perturbatos, vel ſerenos eſſe iuxtà aëris conditiones, ex quo alūtur; Craſſus aūt aër interdū adeò reſpirationi obeſt, vt homines ſtrangulētur non ſecus ac ſi aqua demergerentur, & eò deterior quantò craſſior ex anhelitu terræ, vel carbonis extincti, vel calcis paulò antè illite, vt ait Galen. 7. de vſu part. cap. 8.

Efficitur grauis aër propter vaporationes rerum malè olentiū, .ſ. Suffimētorum, Stagnorū, Buxi, populi Iuglandis, Braſſicæ, & hic etiam nocet, ſua. n. grauitate caput lędit, partim cerebri tēperationē immoderatā

red-

reddens, partim obſtruendo ſpiritibus itinera intercludit Gal. lib. 1. de tue. valet. cap. 11.
Putris verò ille ab omnibus conceditur, qui vel caret perflatu, vel ad quem putres efflatus aſcendunt de terra, & hic prauas efficit febres, & interdùm putredinem ſolidioribus partibus, cordis impartitur.
Aër tandem tota ſubſtantia alienus, & qui omnium peſſimus eſt, ille putatur, qui vim veneni contraxerit, ex prauis exhalationibus, vt ex Auernis aſcendentibus, quarum quidem ea eſt nocendi vis, vt etiam Aues deſuper volantes interficiat, vndè græcè ἄορνος, latinè Auernus dictus eſt, quaſi abſque Auibus, vt ſcribit Lucr. libr. 6. Talis eſt locus quidam, ſeù Antrum apud Puteolos, cuius loci Plin. lib. 2. cap. 94. Hiſtoriarum naturalium meminit dicens in Agro Puteolano ſunt, quæ vocant ſpiracula, alij charoneas ſcrobes mortiferum ſpiritum exhalantes; ferunt in hoc Antro ſignum quoddam eſſe præfixum, vltrà quod ſi animal, vel ad digitum proceſſerit, ſaltibus aliquibus priùs æditis, animam efflat; & ſi ſtatim extractum fuerit, & in proximum lacum proiectum, paulatim reuiuiſcit, & erigitur, cum trepidatione tamen incedens. Franc. Lombar. lib. ſuo de Balneis refert quemdam militem neſcio qua dementia ductum, armatum Antrum fuiſſe ingreſſum tanquam illam peſtem expugnaturum miſerè interijſſe. Frater Leander in lib. de Italia ait, Carolum Octauum Francorum Regem iuſſiſſe, vt proijceretur in eiuſmodi venenoſum Antrum Aſinus, qui ſtatim expirauit; Strabo lib. 14. ſuæ Geogr. alterius Antri meminit, ſic etiam Simplic. 2. de ani-

ma tex. 143 ſimiliter Paul. Egineta lib. 2. ex Gale. 2. de vſu part. cap. 8. Ruphus Epheſius Porta refert quendam Lacum Sarmatas necare Aues ſuperuolantes, qui dicitur Auernus, quaſi ſine Auibus. Aëer ergo tali exhalatione infectus nobis aduerſatur, ac veneni inſtar nos lædit: hæc de ſubſtantia Aëris.

CAP. VII.

De ſubſtantia Aëris Beneuenti.

AEREM prauum eſſe dicebamus, & nocere humanis corporibus, quoniam eſt vel nebuloſus, & obſcurus; vel craſſus, vel grauis, vel putris, vel tota ſubſtantia alienus. Ex quibus deducimus per diſtinctas propoſitiones, quidnàm dicendum ſit de ſubſtantia aëris Beneuentani: & vt ab vltimo incipiamus, ſit prima Propoſitio.

Prima Propoſitio, Aër Beneuentanus non eſt tota ſubſtantia alienus. huius veritatis ratio indè deducitur, quia aër talis efficitur propter vapores veneficos, ac mortiferum ſpiritum ex charoneis ſcrobibus exhalantes; Cæterùm nihil tamen apud Beneuentum reperitur, quin potiùs loci hubertas, amœnitas, & ſalubritas ex omnibus ferè affinibus partibus homines conuocat. niſi quis dicere vellet poſſe aërem Beneuentanum inſici exhalationibus veneficis aliundè prouenientibus, vel etiam ex ſyderum infauſto concurſu, & aſpectu; At quis prudens ex his

his aërem Beneuentanum incuſabit? cùm omnes etiam Ciuitates huic ſint obnoxiæ periculo.

Secunda Propoſitio, Aër Beneuentanus non eſt putris; patet quod dicimus; Nam aëris putredo, vt ait Gal. lib. de tue. valet. cap. 12. & 1. de differ. febr. cap. 4. prouenit ex aſcenſu putridi vaporis à terra, aërem inficientis; quod nullus verè poterit de Beneuento affirmare: Non enim hic lacunoſas aquas, & ſtagnantes, vel loca concaua videmus; ſed terram in plano poſitam, varijſque amœnis collibus, vndequàque cultam; ad omnium frugum genera procreanda aptiſſimam; Duo Flumina aquas omnes pluuiales ſecum pertrahunt, quarum tantùm abeſt, vt noceãt; vt potiùs iuuent; quod Nobis perſuademus ex dictis Hyp. lib. de aëre, aqu. & loc. vbi ait hæc formalia verba. Qui loca concaua, pratenſia, & æſtuoſa habitant, ventoſque calidos plùs ſentiunt, quàm frigidos, & aquis vtuntur calidis; hi quidèm magni eſſe non poſſunt, neque benè compoſiti, & erecti; ſed in amplitudine à natura producti carnoſi ſunt, & capillis nigris, & cæteris vt patet, ibi. Addidit poſteà, quòd ſi Flumina extant in ea Regione, quæ ſtagnantes, & pluuias aquas euehant (quod in Vrbe Beneuenti videmus) homines ipſi incolumes, & ſplendidi viuent: hæc Hyppoc.

Tertia Propoſitio, Aër Beneuentanus non eſt grauis; caret enim ſuffimentis, prauiſque odoribus; imò immundum quodlibet ſecum protrahunt flumina; conferunt inſuper ſatis ad aëris puritatem, laterum, calcis, & nitri fornaces, quarum non paucæ Ciuitatem circundant; His addimus nos pro confir-

matione ſecundæ, & tertiæ Propoſitionum; quòd etiam ſi aliqui vapores graues, vel putridi aſcenderent è terra, ex braſſicis,&c. Nec propterea putris eſſet aër,vel grauis; cùm enim Ciuitas in plano poſita ſit, continuis ventorum flatibus circumcircà agitatur; ita vt quidquid malitiæ aër contineret, venti ipſi demoliant: Vndè antiquitùs (referente Leandro in deſcriptione Italiæ) Maleuentum dicebatur propter maximam ventorum vehementiam; nunc autem mitiùs impellunt, atque ideò vtiliùs.

Quarta Propoſitio, Aër Beneuentanus craſſus eſt, & nebuloſus; nec propterea malus,& nocens; vt ferè omnes timent:probatur;quia ille aër craſſus, & nebuloſus, prauus eſt;cui admiſcetur vapor putridus, grauis,vel peſtilens;vel quoniam craſſities talis eſt; vt reſpirationi obſit:nihil horũ hic reperitur, ergò. Prætereà tunc aër nebuloſus,& craſſus prauus eſt, vt ait Gal.in libr. Hipp.de humoribus comm.3.cap.3. quandò fuerit in loco concauo, montibus altis ex omni parte concluſus; ita vt, nec perflatum recipiat, nec à Sole illuſtretur: tunc enim ſuffocans, putriſque cenſetur: at Beneuentum, licet ſit in plano; non tamen in loco concauo; ſed in humili colle caput reclinat. Inſuper licèt montes circumſtent; diſtant tamen ad octo decem,vel duodecim milliaria, quarè ventorum acceſſus, atque receſſus à nullo prohibetur; Sole etiam à mane,vſque ad veſperam illuſtratur, & attenuatur; licèt mane illa nebularum craſſities magis percipiatur;quæ tamen adueniente Sole,ſpirantibuſque ventis attenuatur, atque euaneſcit.

Am-

Digitized by Google

Ampliùs illa aëris craſſities, ac nebuloſitas praua eſt, quæ viros, ac mulieres pallidos, & deformes reddit, habitum habentes cacoëthicum, atq́ue ſubtumidum; vt patet Sæpini, Acerris, Bouiani, alijſq́ue locis ſimilibus: Homines verò Beneuentani decori ſunt, & forma egregia; Mulieres verò facie venuſta, & pulchritudine inſigni. quibus addo Beneuentanorum quamplurimos ſenio confectos, ac carioſa vetuſtate attritos, etiam centeſimum pertingere annum; Et cùm in dies hominum Ciuitas incrementum recipiat, quid dicendum? niſi bonum eſſe Beneuenti ſitum, atq́ue cœli clementiam; alioquin potiùs fugerent; cùm etiam bruta prauum aërem fugiant. Vndè Ariſt. ait. 8. de natura animal. ca. 28. Lepores ex Ithaca fugere ob aëris malitiam. Concludimus tandèm, ſi aëris huius craſſities, ac nebuloſitas ciuibus nocerent; futurum fuiſſet, vt Ciuitas ipſa derelinqueretur ab eiſdem Ciuibus; vt legimus de Salapia Apuliæ antiqua Ciuitate, quam dereliquerunt Ciues ob aëris prauitatem, aliamque ad quatuor millaria diſtantem erexerunt, Imperio Marci Hoſtilij. Et de Modelino, & Villa Ricca in nouis Hiſpanijs, quas etiam eadem cauſa iuſſu Ioannis Mariæ Benedicti, incolæ dereliquerunt; vel non ſemper fuiſſet denuò condita, dùm ab hoſtibus fuit totiès radicitùs ſublata: relinquitur ergò aërem Beneuentanum quò ad ſubſtantiam non eſſe omnium optimum, neque tamen peſſimum; ſed bonum, & ſalubrem: cuius autem ſit qualitatis inferiùs patebit.

CAP.

CAP. VIII.

De qualitate Aëris in Communi.

AERIS qualitas aut moderata eſt, aut à moderatione recedit; exuberantia vnius, vel alterius qualitatis, ita vt ſit calidus, frigidus, humidus, aut ſiccus intensè, vel calidus, & humidus, vel calidus, & ſiccus, vel frigidus, & ſiccus, vel frigidus, & humidus intensè. Varietas autem hæc qualitatum oriri poteſt ſecundùm Ioannitij, & Conciliatoris opinionem, vel ex cœleſtibus cauſſis, vel temporum mutatione, vel ventorum impetu, vel terrarum ſitu, vel fumoſis exhalationibus,

Variatur ergò qualitas aëris ratione cauſſarum cœleſtium, & hoc multipliciter: Primò, ratione Stellarum fixarum exiſtentium in octaua Sphera, & imaginum ferè allegoricarum ab Indis poſitarum, cum cœlis, & Zodiaci ſignatis, aut imaginatis in eiſdem, quæ in hæc inferiora imprimunt varijs temporibus vario modo. Nàm cùm Octauum Cœlum moueatur in oppoſitum Noni ab Occidente in Orientem in 100. annis vno gradu, ſecundùm Ptolemæum longitudine, latitudine verò minùs; qui motus triginta ſex millium annorum ſpatio terminatur, in quo ſecundùm Stoicos quoſdam, Pythagoræorum omnia in priſtinum ſtatum reuocantur;

Vndè

Digitized by Google

Vndè cùm caput Arietis, mobilis Cancri, Libræ, & cæterorum ſignorum mobilium, receſſerint à Capitibus Arietis, Cancri, Libræ, & cæterorum immobilium, forſan per 13. gradus hoc noſtro tempore, poſſumus dicere, nunc varium eſſe aërem Beneuentanum, ſicut & alia omnia, quæ reperiuntur in mundo, ab ijs, quæ fuerunt ab initio. Nàm quando Capita Mobilium ordinatè, & directè erant ſub Capitibus immobilibus, tunc virtus perfectiori modo à primo principio per medias cauſas ita diſpoſitas in hæc inferiora deſcendebat; Tunc enim inter ſe cauſæ altera alteri viciſſim reſpondebant. Quarè concludendum aërem, & omnia alia, quæ mundus claudit, imò & naturam humanam à prima perfectione defeciſſe propter receſſum, Capitum mobilium ab immobilibus.

Secundò, poteſt variari ratione aſpectus Planetarum, maximèque ratione coniunctionum, Saturni, & Iouis, & propter Eclypſes Solis, & Lunæ ex coniunctione Saturni, & Iouis in principio Arietis, quod quidem circa finem 960. annorum contingit. Tunc enim ſecundùm aſcendens coniunctionis, & dominium eius, ſecundùm etiam locum coniunctionis eorum ex domibus, aut ſecundùm fortunas, vel infortunas locum aſcendentis, & coniunctionis aſpicientes, variatur non ſolùm aër, imò & totus mundus inferior commutatur.

Tertiò, poteſt variari à Planetis ipſis ſecundùm quod eis debetur quoddam regimen commune in mundo, vnuſquiſque ſuo modo mundum habet gubernare, potiſſimè per intelligentiam ſibi virtute copula-

latam, licèt ſubſtantia extra exiſtat ſecundùm Auerroëm de ſubſtantia Orbis, intelligẽtiæ autẽ aſſiſtentes ſeptem ſunt iuxtà numerum Planetarum. Prima eſt Saturni, quæ dicitur Caſſiel. Secunda, Iouis Sachiel. Tertia, Martis Samuel. Quarta, Solis Michaël. Quinta, Veneris Anaël. Sexta, Mercurij Raphaël. Septima, Lunæ Gabriel. Ordo autem in ducatu eorum reperitur, quoniam Primò ducit Saturnus. Secundò, Venus. Tertiò, Iuppiter. Quartò, Mercurius. Quintò, Mars. Sextò, Luna. Septimò, Sol. Ducatus verò, & regimen vniuſcuiuſque eſt 354. annorum, & menſium quatuor lunarium ad ſimilitudinem anni Lunaris continens 354. dies, & vndecim trigeſimas. Hæc Conciliator de mente Aſtrologorum; *Vndè* ſub vario ducatu, variatur aẽr, ſicut, & quęlibet res inferior.

Quarto, licèt varietur ex quotidiano Ortu, & Occaſu omnium ſyderum, Soli tamen, ac Lunæ, hæc varietas accepta refertur teſt. Gal. lib. 3. de dieb. crit. cap. 2. & 5. Sol enim ſuo acceſſu, atq; receſſu efficit quatuor anni tempora; *Vndè* Ariſt. dicebat propter acceſſum, & receſſum Solis in circulo Zodiaco fiunt generationes, & corruptiones; Nàm vbi ad Solſtitium accedit, facit Aeſtatem quæ calida eſt, & ſicca: cùm ad Libram, facit Autumnum qui frigidus, & ſiccus eſt, inæqualis tamen; Cùm ad Brumam venerit, facit Hyemem, quæ frigida eſt, & humida, cùmque ad Arietem facit Ver, quod paulò calidius eſt, & humidus, vel potius moderatum, luce tamen ſua efficit diem, & cum ad Occaſum venerit noctem.

Di-

Diuiditur ſpatium diei naturalis in quatuor partes, quæ reſpondent quatuor temporibus Anni, & ſemper variatur aër, teſte Gal. 1. Epid. ca. 15. Nàm cùm Sol in omni die naturali moueatur ab Ortu in Occaſum, & contrà, ſuaque præſentia calefaciat, & deſiccet; abſentia verò infrigidet, & humectet: neceſſe eſt, vt ipſe in omni die naturali moueat aërem ex prænominatis quatuor qualitatibus.

Cùm Sol fuerit in puncto meridiano, erit operatio in Nos fortior, tùm ratione multæ moræ præcedentis ſuper terram; tùm ratione directæ irradiationis, & calefacit, & ſiccat, in punto oppoſito ſcilicet mediæ noctis, debilis erit eius operatio, & infrigidat, & humectat: In duobus verò punctis medijs, operatio erit media: In puncto enim Orientis calefaciet propter primum acceſſum ad diẽ, & humectabit propter primum eius receſſum à nocte; in puncto tandèm Occidentis contra erit infrigidans propter primum acceſſum ad noctem, & deſiccans propter primum receſſum à die. Quarè fiunt quatuor quadræ diei naturalis; Prima incipit à principio decimæ horæ noctis, & terminatur in fine tertiæ horæ diei, & hæc vocatur ſanguinea; quia hoc tempore mouetur ſanguis, vt aiunt Medici omnes.

Secunda, quæ calida eſt, & ſicca, à quarta hora diei vſque ad nonam, & dicitur cholerica. Tertia, à principio decimæ horæ diei, vſque ad tertiam horam noctis; & dicitur melancholica. Quarta eſt frigida, & humida, ſimilis hyemi à principio quartæ horæ noctis vſque ad nonam horam noctis; & dicitur flegmatica.

Digitized by Google

Ad harum quadrarum diei naturalis ſimilitudinem quælibet dies artificialis, etiam habet ſuas quadras, ſicut & nox; dies quidèm duas antè meridiem, duas poſt; A prima ergo hora diei vſq; ad tertiã incluſiuè erit quadra frigida, & humida ſimilis hyemi. Secunda, per alias tres horas eſt calida, & humida, ſimilis veri. Tertia, per alias tres horas eſt calida, & ſicca, æſtati ſimilis. Quarta, per alias tres horas frigida, & ſicca, ſimilis Autumno. Quadræ verò noctis ſunt etiam quatuor; quarum quælibet tres horas, continet: Sunt tamèn omninò oppoſitæ quadris diei; nam vt prima diei erat frigida, & humida; prima noctis erit calida, & ſicca reſpectiuè; & ſic de ſingulis oppoſito modo.

Habet etiam Luna non mediocrem facultatem immutandi hęc inferiora, teſte Gal. cap. 3 de dieb. crit. cap. 3. quod facilè patet de diebus decretorijs apud Medicos, Oſtreis, & Conchylijs, quæ cum Luna creſcunt, pariterque decreſcunt: Ex arboribus, vbi non cæduntur tempeſtiuè: Ex aëre tandèm, quem manifeſtè mutat quatuor quadris menſis; ſicut enim Sol annum; ita Luna menſem gubernat; & Lunæ curſus, menſes nominantur, quia menſa ſpatia conficiat. Gal. lib, 3. de diebus decretorijs cap. 5. Sed quadræ eius ſunt menſis coniunctionis, qui fit ex menſe peregrinationis Lunæ, totius ſui Orbis, quẽ 27. dierũ ſpatio, & horarũ ferè octo perficit, atq; ex duobus diebus, & quatuor horis & quorũ numerus in 29. dies conſurgit cum dimidio: Luna enim à Sole recedens ſuo celeriori motu ipſum non inuenit in loco vbi priùs, cũ ipſo copulata eſt; ſed ferè per

ſignum

ſignum ipſam Sol anteceſſit, cur demùm Luna tempore duorum dierum, & quatuor horarum iterùm applicatur.

Hic menſis in quatuor diuiditur quadras, quatuor anni partibus reſpondentes: quarum quælibet ſeptem continet dies, & nouem horas, in quibus Lunæ variatur lumen diuerſimodè, & ſic diuerſimodè variatur aër: in fine namque prædictæ quadræ ſemiplena efficitur, ſeù diacornea ἄδοας, calida, & humida, ſimilis veri; in fine ſecundæ plena, calida, & ſicca, Aeſtati ſimilis in fine tertiæ iterùm ſemiplena eſt frigida, & ſicca, ſimilis Autumno; in fine quartę Soli coniūcta cōburitur lumine carēs frigida, & humida, Hyemi ſimilis; inſuper poſſunt dari aliæ quadræ Lunæ ratione motus, quē facit ex primo mobili, vt diximus de Sole ſcilicet ex Oriente ad medium cœli & à medio ad Occaſum; & ſic ſemper mutatur aër, vt dicit Conciliator differentia 16. à quinq; etiam Planetis concitatur à Saturno ad frigiditatem congelantem, & mortiferam; A Ioue ad calorem, & humiditatem temperantem; à Marte ad caliditatem æſtiualem cum ſiccitate; à Venere ad frigiditatem, & humiditatem menſuratè; à Mercurio tandem recipit commutabilitatem, & paſſibilitatem indifferenter. At deſcendamus ad propoſitum in particulari.

Digitized by Google

CAP. IX.

Qualiter mutetur aër Beneuentanus à cauſis cœleſtibus.

EX prædictis iàm colligimus Mundum vniuerſum, nè dum aërem Beneuentanum diſtare à primæua perfectione propter cœleſtium cauſſarum mutationem: ſupereſt, vt videamus, quam diſpoſitionem determinatè ſortiatur aër Beneuentanus à cauſſis cœleſtibus, præcipuè à Sole, & Luna; ac priùs de Sole dicendum; ab ipſo enim cæteri Planetæ dependent in operando; operantur enim mediante lumine, quod à Sole recipiunt. Vndè dicebat Heliaberangel. 1.par.iudiciorum c.de Sole; Sol, cor, & decus Vniuerſi in medio Planetarum reſidet, (ſicut Rex in medio Principum ſuorum) vt omnia latera attingere poſſit: ipſe enim virtutes Planetarum diſpenſat mediante lumine, quod eis impertitur: & ſubdit, dedit Marti militiam; ipſe enim dux militiæ eſt; iudicia dedit Ioui; Saturno conſilium, vt eſſet Secretarius eius; Veneri poteſtatem gratias diſpenſandi; Mercurio, ſcribæ miniſterium; Luna eius nuncius eſt; ſuo enim motu defert virtutes Planetarum.

Sol ergò ab Ortu in Occaſum diebus ſingulis motu primi mobilis circumfertur, ipſoque motu dies, ac

no-

Digitized by Google

noctes facit; & ſic ſingulis quibusſque diebus naturalibus, & artificialibus aër Beneuentanus per Solis quadras mutatur: ſed mutatio hæc communis eſt, etiam alijs Ciuitatibus; Prætereà Sol habet proprium motum huic obliquum, quo Anni tempora variantur, & aër vniuerſarum Vrbium non permanet idem in qualitate.

Ampliùs cùm non ſit earumdem dierum, quantitas eadē ſingulis Terram incolentibus, exceptis Aequinoctij diebus (quippè, qui ſub Aequinoctiali degunt, Aequinoctium ſemper habent, reliqui omnes inæquales dies habent) Hinc eſt quod Ciuitas quælibet, quantò magis diſtat ab Aequinoctiali, tantò maiores dies habet; noctes verò minores: in oppoſita verò, ſecùs accidit; Quamobrèm cùm Beneuentum diſtet ab Aequinoctiali gradus ferè 45. Sole perueniente ad Tropicum æſtiualem, longiores habebit dies, & calidiores; tùm ratione moræ, tùm ratione directæ irradiationis: Vndè aër eo tempore erit maximè feruens; noctes verò habebit breuiores, & ſic iuxtà varias Solis quadras annuales, & diurnas, erit etiam varius in qualitate aër Beneuentanus.

Sed veritatem prædictam quatuor rationes labefactare videntur: prima ſi aër Beneuentanus in Solſtitio tantùm, Solis feruorem patitur; ergo prauus erit eo tempore, & putredini aptiſſimus: Ratio huius rei eſt, quia propter nimium calorem extraneum, debilitatur internus, & fit putredo; putrefactio enim eſt diſſolutio quædam mixtionis, calido innato euaporante, atq; humido; cuius euaporationis prin-

cipium ſemper eſt aliena caliditas; ſiuè illa in aëre ſit, ſiuè in circunfuſo humido.

Cæterùm ratio iſta non tàm Beneuentum, quàm alias etiam Ciuitates Italiæ mordet, quarum aliæ magis, aliæ minùs ab Aequinoctio diſtant. Nec negamus eo tempore magis fieri putredines, quàm alijs temporibus vbique: Itaque dicebat Auer. 4. Metheor. com. 6. putrefactio magis contingit æſtiuo, quam hiberno tempore; Quarè ratio nihil determinatè contra Beneuentum concludit; Imò dicimus calorem æſtiuum Beneuento eſſe minùs infenſum, quàm alijs locis; quia cùm aër Beneuentanus circumcircà agitetur ventis frigidis, ratione Montium frigidorum circumſtantium; conſequenter contemperatur, & magis putredini reſiſtit. *Vnde* Auer. quodlibet 4. cap. 4. ait aër frigidus putrefactionem diminuit; Præthereà, cum in Aeſtate magna ex parte fiant febres continuæ, tertianæ, vomitus, oris vlcera: teſte Gal. 3. Aph. Aph. 22. propter incendia, & ſiccitates à Sole inductas: cùm aër Beneuentanus vtriq; aliquo modo reſiſtat, calori ſcilicet eo modo, quo diximus; ſiccitati verò ſua propria humiditate: indè fit vt aër ſit contrarius morbo; quod cum accidit bonum eſt ægrotanti; medico autem gaudium affert, Auer. quodlib. 7. cap. 2. Indè etiam fit, vt aër Beneuentanus ſit forſan temperatior, quàm alij propinquiores, qui ſalubres habentur; Et ſic tantùm abeſt, vt mala fiat aëris conſtitutio in æſtate, vt potiùs euadat temperata.

Quamobrem vidimus calidis, & ſiccis Anni conſtitutionibus; calidas, & ſiccas Regiones omnes febrib.

acu-

acutis, at ; ardentibus laborare, vt accidit anno 1607. in tota ferè Apulia, quamplurimiſq; Campaniæ locis calidis, & ſiccis ; vbi pluſquam 80. hominum millia miſerè perierunt; Beneuentum verò ſqualorem non adeò ſentiens propter frigidos ventos,per frigidos Montes tranſeuntes;& propter innatam humiditatem ſiccitati reſiſtentem; parùm, vel nihil detrimenti accepit ; pauci pro numeroſa populi multitudine in morbos inciderunt, & ferè omnes incolumes euaſerunt.

Secunda ratio, quæ adhuc vrget eſt; quia Beneuentum expoſitum eſt radijs Solaribus ex Auſtrali parte ferientibus, qui quidèm aſpectus ab Hipp.cæteriſque Medicis tanquàm inſalubris damnatur.

Verùm licet aſpectus talis, naturaliter loquendo, malus ſit; cùm calido, & humido redundet; ac proptereà putredini aptus ; cùm corpora diffundat, pigriora faciat, & caput aggrauet;tamèn Montes circumſtantes, qui niue ferè toto anno veſtiti apparent,ſua frigiditate, nonnihil Auſtrino calori reſiſtunt ; aëris verò humor æſtiuam ſiccitatem moderatur.

Tertia ratio maius robur videtur habere ; quia actus actiuorum fiunt in patiente benè diſpoſito: cùm aër Beneuentanus ſit humidior propter fluuios circumfluentes ; calor verò extraneus ſit potens : in quibus fit putrefactio. teſte Auer. quodlib. 6. c. 12. ſequitur natiuam humiditatem potiùs illi obeſſe, quàm prodeſſe.

Certè robur argumentum haberet, ſi humiditas iſta, ex Lacunis, & eiuſmodi aquis ſtagnantibus orire-

tur :

tur: eſſet enim putredinis proxima cauſſa; at humiditas ex aquis limpidè fluentibus in ſe mitior eſt, & æſtiuo tempore remittitur à ſiccitate, & calore Solis, & à Ventis aërem ſummoperè ventilantibus.

Quarta ratio idipſum quod ſuprà ſtabilire molitur, occaſione deſumpta à Brumali Solſtitio, quando noctes ſunt longiſſimæ; dies verò breuiores: ita vt, vix Solis facies contueri poſſit propter motus obliquitatem, & aëris nubiloſitatem; quarè tunc humiditas maximè viget, & fiunt peripnemmoniæ Coryzæ, branchi tuſſes, pectorum, laterum, & lumborum dolores, vertigines, apoplexiæ, & capitis dolores, vt dicebat Hipp. 3. Aphor. 24.

Licèt hæc ratio nos cogat confiteri aërem Beneuentanum aliquo tempore magis ab humiditate præmi; tamen negari non poteſt, nocturnam humiditatem attenuari adueniente Sole, qui ex meridie totam Ciuitatem perluſtrat; quamuis in locis anguſtis Ciuitatis, quò ſolares radij non peueniunt, vigeat humiditas: Vndè quamplurimi obnoxij fiunt fluxionibus, præcipuè illi, qui parùm ſe tuentur; homines autem extrà Ciuitatem animi gratiæ ambulantes, vbique ſentiunt quandam aëris clementiam.

De Luna nihil particulariter dicimus, niſi quod aër Beneuentanus magis ſentit eius humiditatem in ſuis quadris: Vndè in nocte homines magis ſe debent tueri, ne in catharrales fluxiones incidant. Et hæc de cauſſis cœleſtibus.

CAP.

CAP. X.

De mutatione Aëris, ex temporum mutatione.

INFERIOREM omnium mutationem cœleſtia efficere ſydera, & tetigimus ſuprà, & docet Chorus Phil. omnium: Siquidèm Mundus hic inferior ſuperioribus lationibus contiguus eſt, ex quibus virtus omnis deſcendit: Verùm craſſioris ingenij homines, qui ad ſublimia ſeſe erigerę nunquam norunt, ex ſenſu iudicia ferentes, putant omnem, vel aëris, vel rerum quarumcumque varietatem, temporum differentias ſequi; nec ſuſpicantur quidèm ſyderum virtutes, vel influxus quibus compatientes annuimus, & in gratiam ſimplicium etiam hoc explicare incipimus: qualiter ſcilicèt varietur aër, ex temporum mutatione: ſed audiant priùs Phil. & in memoriam reuocent, id quod didicimus 4. Phyſ. 201. ſcilicèt tempus eſſe menſuram primi mobilis (ſub quo, & cæterorum Planetarum continentur motus, præcipuè Solis) qui fit ſpatio 365. dierum, & vnius quartæ dempta 130. parte vnius horæ, Sole ipſo Zodiacum progrediente motu proprio ab Occidente in Orientem, atque perambulunte eius eccentricum ſub Eclyptica directè ſuppoſitum, & hoc tempus, Annus dicitur; ac in quatuor ſequeſtratur partes, Tempora nominatas, Ver. ſ. Aeſtatem,

Digitized by Google

tem, Autumnum, & Hyemem.

Hæc tempora tripliciter poſſunt accipi; vno modo Medicè, ſiuè ſenſibiliter, ſiuè penès effectus in eis repertos, vt ait Auic. libr. 1. Doct. 2. & iſtò modo Ver calidum, & humidum, ſiuè potiùs temperatum, incipit cùm principium fuerit frondendi Arbores, ac niues de Montibus cadunt; & tunc neq; multis propter frigus egemus operimentis, neque propter euentilationem paucis.

Subſequitur poſteà Aeſtas calida, ſicca, cùm folia redduntur perfecta, ac in fine incipiunt albari, & plurimi fructus matureſcunt, neque pannis egemus præ frigore; Imò euentilatione propter calorem æſtiuum. Indè venit Autumnus frigidus, ſiccus, & incipiunt mutationes colorum foliorum, & principium caſus eorum, & fontes, & aquæductus minorantur: Tandèm aduenit Hyems frigida, ſicca, cùm cadunt omnia folia, & ſentitur maximum frigus; Ita vt multis egeamus operimentis. Vndè maiores noſtri conſiderantes influentias haſce ſenſibiles, quas ſecundùm, ipſa tempora efficit Sol in his noſtris Regionibus, quas incolimus, quæ ſunt magis Boreales Regione ipſa temperata, quę eſt in quarto Climate, fecerunt principium Veris. 8. Kalendas Martij, vide licet in Cathedra S. Petri. Principium autem Aeſtatis 8. Kalendas Iunij, in feſto S. Vrbani Papæ, & Martyris. Principium verò Autumni, vndecimo Kalendas Septembris, in feſto S. Hyppoliti, & S. Thimothei, & S. Symphoriani. Et principium Hyemis, nono Kalendas Decembris, in feſto S. Clementis Papæ, & Martyris. vndè verſus.

Fe-

Feſtum Clementis, Hyemis Caput eſt Orientis.
Cedit Hyems retrò, Cathedrato Simone Petro.
Ver fugat Vrbanus, Aeſtatem Symphorianus.

Secundo modo accipiuntur tempora Aſtrologicè, vt ait Gal. 5. Theor. c. 3. in principio ſcilicèt iuxtà præciſum Solis curſum in Zodiaco: ternis .n quibuſque Menſibus Solaribus, conſtituitur vnum tempus, ipſa Solis peregrinatione triũ ſignorum Zodiaci; & ſic duodecim Zodiaci ſigna pertranſiens Sol, complet ſpatium 12. Menſium, & conſtituit quatuor Tempora; cùm vnumquodque extribus conſtet, & ſic tria, quater multiplicata fiunt duodecim.

Et iſtorum quatuor Temporum initia, Aſtrologi poſuerunt quatuor puncta Zodiaci Cardinalia; duo videlicèt Tropica, & duo Aequinoctia; & ſic principium Veris eſt nunc 21. Martij; tunc enim Sol eſt in puncto Cardinali: Aequinoctiali. ſ. in principio Arietis, & 23. terminatur Iunij: deindè Sol ingreditur Cãcrum, & perueniens vſq; ad finem Virginis conſtituit Aeſtatem, quæ 22. Septembris terminatur: Dehinc Libram ingreditur, & tranſiens per Scorpionem in finem Sagittarij, conſtituit Autumnum, qui eſt 24. Decembris: Deindè ingrediens Capricornum per Aquarium in finem deueniens Piſcium 21. Martij, à quo incœpit cauſat Hyemem tribus etiã Menſibus conſiſtentem.

Tertio modo accipiuntur ſignanter pœnès Ortum, & Occaſum quarundam Stellarum notarum, vt cœpit Hip. lib. de Aëre, aquis, & locis, & Ariſt. 1. problem. 2. in fine, & Gal. 3. Apo. 11. in principio, & 15. in fi-

ne, & ſic Aeſtas incipit, quando Pleyades oriuntur in 11. Maij, quæ ſunt ſex Stellæ cæteris Cœli aggregatiores, & propriè ſunt antè genua Tauri, & propè caudam Arietis nunc ferè 21. gradum Tauri tenentes, quæ teſte Seruio dicuntur Pleyades ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod eſt nauigare: nam Ortu ſuo primæ nauigationis tempus oſtendunt dicuntur etiam Virgiliæ à Verni temporis ſignificatione, quo oriuntur: Nàm Vere oriuntur, & circà Aequinoctium earum ortus matutinus eſt; Poëtæ fabulantur eſſe ſeptem ſorores Lycurgi filias vndè Ouidius.

Pleyades incipiunt humores releuare paternos.
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent;
Seù quod in amplexus ſex hinc venere Deorum,
Nam Aeſteropen Marti concubiſſe ferunt:
Neptuno Alcyonem, & te formoſa Celeno,
Maiam, atque Electram, Taygetemq; Ioui
Septima mortali Merope tibi Syſiphe nupſit
Pænitet, & facti ſola pudore latet.
Siuè quod Electræ Troiæ ſpectare ruinas,
Non tulit, antè oculos, oppoſuitque manum.

Medium verò Aeſtatis fit quando Canis maior exiſtens in ore Caniculæ Oritur ante Solem matutinè, quæ eſt maior, & lucidior omnibus Stellis fixis, nam quinto gradu exiſtens Cancri, ſeptimo Kalendas naſcens Auguſti; & tunc dies incipiunt Caniculares, iuxtà dictum Hipp. 4. Aphor. 5. ſub. Cane,

&

Digitized by Google

& ante Canem difficilis eſt medicamentorum vſus. Eſt Canis cœleſte ſydus, quod ad Orionis pedem morbidum micat. Autumnus initiatur, quando Oritur Arcturus antè Solem in 15. gradu Libræ, & hic Ortus eſt Iliacus, ſeù Solaris: eſt namque triplex Ortus, & Occaſus: Coſmicus ideſt mundarius, Chronicus ideſt temporalis, & Iliacus ideſt Solaris, vt dicunt quidam Poëtæ Aſtronomizantes, Principium verò Hyemis eſt in Occaſu Pleyadũ Chronico, quod eſt circa 10. Nouembris; Deindè poſt Hyemem ſequitur Ver, & extenditur vſque ad Ortum Pleyadum. Notandum quod dies Caniculares incipiunt poſt 30. dies à Solſtitio vt ait Col. lib. 10. & vt affirmat Cicero, durant 40. dies; nam poſt 40. dies occidit Canicula, licet non tota.

Dies ſi Canicula eſt in quinto gradu Cancri; ergo non naſcitur ſeptimo Kalendas Auguſti; ſed potiùs debet oriri quando oritur quintus gradus Cancri, vbi adeſt.

Reſpondetur, quod hoc Sydus tunc dicitur oriri, cùm oriendo in medio cœli centro, illis diebus fuerit, & coniunctum cum Sole duplicauerit calorem, quod non fit, niſi ſeptimo Kalendas Auguſti: non autem quando Sol oritur cum quinto gradu Cancri.

Hoc verò tempus vt diximus eſt numerus motus: impoſſibile enim eſt intelligere tempus ſine motu, vt dicebatur 4. Phyſ. tex. comm. 95. motus etiam tamquam accidens non eſt ſine ſubiecto, quod ſubiectum mutationum eſt aër: quarè is ex temporum mutatione mutatur; & propterea dicebat Hip. 3. Aphor. 1. temporum mutationes potiſſimùm pariunt

riunt

riunt morbos, &c. Nam aër potiſſimum variatur ex temporum mutatione, qui nobis circumfuſus magnam vim habet alterandi: ſi enim temporum decurſus ſemper eſſet æqualis, puta ſemper cauma æſtiuum, & vniformiter, vel ſemper frigus Hyemale, & vniformiter; non fierent generationes, ſicut non fierent ſegetes, non pulularent arbores, &c. Vndè dicebat Auerroës 4. de generatione animalium cap. 10. ſi diuerſitates motus Solis, & Lunæ inſuper & aliorum Aſtrorum diuerſitates non reperirētur in Aëre, quas Aëris mutationesnominamus, viuentiū generationes nō fierent, nec etiā poſſibilis eſſet ſanitas: ea enim eſt ab aëris mutationibus, ſicut etiam vita eſt ab illis; Namque teſte Ariſt. 8. Phyſi. comm. 32. dans formam, dat omnia conſequentia, ad formam; niſi enim nocti ſuccederet dies, & poſt diem alternaret nox, quomodò vita ſtaret: in duobus namque zonis propinquis Polis, vbi Annus partitus eſt in vna nocte ſex menſium, & vna die, ſex menſium, nimiò frigore, & nimio calore, non eſt poſſibilis bona habitatio.

His ſic ſtantibus, notandum quod temporis quomodocumque ſupradicti duplex eſt mutatio; naturalis videlicèt; & prætèr naturalis, ac vtraque, vel ad qualitates manifeſtas, vel occultas; illaſque, vel primas, vel ſecundas.

Naturalis Mutatio temporum apud Galenum 3. Aph. 1. eſt commutatio ipſa qua tempora anni viciſſim ſe excipiunt, & ſequuntur; quarè ipſa mutatio poteſt dici ſucceſſio, ſiuè viciſſitudo temporum, videlicet Hyemis, in Ver; Veris in Aeſtatem; & Aeſta-

tis

Digitized by Google

tis in Autumnū;ac tandem huius in Hyemem conuerſio,& in quouis horū ſumma fit mutatio caloris in frigus;vel frigoris in calorē;Siccitatis in humiditatem,& contrà aëris ſereni, & quietioris, in nebuloſum,tempeſtuoſum, flatuoſumque ; & ſic ſemper viciſſim, per ſingulas Anni quadras aër in qualitate variatur.& propterea dicebat Auerroës 1.probl.3. explanando hoc dubium,cur temporum,flatuumq; mutationes morbos intendant, dirimantuè, iudicent, vel committant ? An quod aut frigidæ, aut calidæ, aut humidæ, aut ſiccæ ſunt, morbique ex qualitatum huiuſmodi exceſſu committuntur ; ſecunda enim valetudo mediocritas quædā eſt, quod ſi ex frigido,vel humido fiat morbus, tempus accedens contrarium, tollere illum poterit : ſed ſi minus contrarium ſubſequutum ſit, qui ſimilis ſtatus temporis ſuperuenerit intendet quidèm, atque perimet quo etiam fit, vt qui benè valent ægrotare tempore mutato incipiant; neceſſe eſt enim vt corporis temperamentum ſoluatur.

Mutatio Præter naturalis; eſt alteratio temperamenti, & naturæ temporum, tàm vniuerſalium, quàm particularium, & iſta cùm multiplex ſit, cum alia aliam excipiat, quemadmodùm in Epidemijs ſcriptum reliquit Hip.maximè Aër mutatur in vniuerſalibus quando quatuor Anni tempora ſuum non ſeruant temperamentum in particularibus quandò non ſeruetur idem temperamentum nempè in die iuxtà dictum Hipp. 3 Aphor. 4. quoties eadem die modò æſtus, frigus exiſtit modò morbos Autumnales expectare oportet. &c.

No-

Notandum prætereà quod vtraque mutatio tàm naturalis, quàm præter naturalis, vel erit ad qualitates manifeſtas, vel occultas: ſi ad manifeſtas, vel ad primas, vel ſecundas. Si ergo ad qualitates manifeſtas, & primas, erit modis octo: quatuor vnica dominante qualitate;quatuor item duabus qualitatibus præpotentibus, atque vna quidèm vincente, & ſic erit vel calidus, vel frigidus, vel ſiccus, vel humidus: duabus verò ſuper potentibus, calidus, & ſiccus;calidus,& humidus;frigid⁹,& ſiccus;frigidus, & humidus: & ſic mediantibus iſtis materialibus qualitatibus primis, Aër multa poteſt efficere; generant enim & alterant.

Si verò Aëris mutatio erit ad qualitates manifeſtas ſecundas, vt ad odorem, ſaporem, lucem, &c. tunc aër nihil agit mediantibus iſtis ſecundis qualitatibus; quoniam hæ ſecundæ qualitates inter ſe non agũt, cùm non ſint contrariæ: omnis enim actio fit ratione contrarietatis 1. de generatione, & corruptione tex. comm. 50. benè verum poteſt agere ratione ſpiritualium qualitatum, quæ ſpecies vocantur; & ſimulachra materialium, quæ ſenſus, & intellectum mouent, & multam actionem, & vim producũt vt patet de Sympathia, & Antipathia rerum, & principia ſunt motionum in animalibus. Deindè & motus locales videntur facere attractionem, & fugam, & tales vocantur qualitates occultæ, vt dicit Fracaſtor.

Vndè propter tales Aëris mutationes dicebat Galenus quod tempora Anni ad ſalutem tuendam obſeruari oportet, & quotidianas conſtitutiones animad-

maduertere, & mutationes potiſſimùm maximas inſpicere eſt neceſſe ad ægrorum curationem; confirmat autem hæc Hipp. libr. de Aëre, aquis, & locis: dicens maximè obſeruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus, quæ circà ventrem, vt neque ſecemus priuſquàm prætereant dies decem, vel plures, & non pauciores, periculoſiſſimæ ſunt, etiam aëris mutationes, quæ fiunt in Solſtitijs maximè verò in æſtiuo. Periculoſa quoque Aequinoctij mutatio; ſed magis Autumnalis, ſic etiã Aſtrorũ exortus mutationes faciunt vt diximus ſuprà, & Aërem variant. perturbatur etiam ex quamplurimis alijs rebus, & pręcipuè ex ventis, ſed in cap. de ventis plura dicemus; Reſtat ſolùm vt dicamus, quomodò variatur aër Beneuentanus ex temporum mutatione.

C A P. XI.

De mutatione Aëris Beneuentani ex temporum mutatione.

AT videamus quid efficiat prædicta temporum mutatio noſtro Aëri, vt ſimplicibus, non valentibus ex præmiſſis veritatem elicere, ſatisfaciamus labore noſtro. Sciat ergo tempus qualitercumque ſumptum ſiuè Medicorum more, ſiuè Aſtronomorum, vel etiam ſignanter ſemper aërem Beneuentanum mutare, tùm naturali, tùm præternaturali mutatione: tàm temporis vniuerſalis, quàm particularis; tàm in qualitates manifeſtas, quàm occultas tùm primas; tùm ſecundas.

Dices contrà, tempus eſt quædam menſura motus ſecundùm priùs, & poſteriùs numerata per animã, & eſt in genere quantitatis, à qua non prouenit actio, ſiuè immutatio, cùm mathematica quantitatibus careant ſenſibilibus 3. Meth. cap. 8. ac actio non prouenit niſi à qualitate, & à forma.

Reſpondetur ſecundùm Auguſtinum Sueſſan. 4. Phyſ. iuxtà opinionem Themiſt. quod tempus non immutat: ſed dicitur immutare attributiuè: quia quatenùs immutationis cauſa latet, nonnunquàm dabimus illam tempori; Vndè tempus & motus nec generationis, nec corruptionis cauſa ſunt effe-

ctrices; ſed attributariæ, atque ſuppletoriæ: nam cùm immutationes fiant à cauſſis occultis, damus illis tempori, vt ſuppletoriæ cauſæ.

Dices contrà Gal. & Hipp. loquitur de mutationibus à cauſſis manifeſtis nempè è calido, vel frigido, &c. & tamen dicit quod fiant à temporum mutatione: ergo variatio temporum mutat aërem.

Reſpondetur, quod aliud dicitur immutare, ſiuè agere in aliud tripliciter; primò quia tranſmutat illud cauſando in eo aliquam qualitatem Alio modo, quia applicat ſibi contrarium agens in illud, ſicut homo dicitur comburere domum, quia applicat ignem domui: & iſtis modis tempus non dicitur agere in iſta inferiora. Tertio modo aliquid dicitur agere, quia eſt illud, in quo continuatur applicatio contrarij agentis in ipſum corrumpendum, ſiuè immutandum, & ſic tempus poteſt immutare hæc inferiora, & præcipuè aërem.

Dices cõtrà, ſi tempus diceretur immutare vt in quo, & non vt quod effectiuè Galen. non dixiſſet tempus variat aërem, ſed in tempore variatur aër, &c.

Reſpondetur, quod tempus poteſt dupliciter conſiſiderari, vel ſecundùm ſe, quatenùs eſt menſura motus, &c. & ſic ab eo nulla prouenit alteratio, ſiuè immutatio. Alio modo ratione qualitatis ſenſibilis eidem adiunctæ, & ſic ex ipſo fit immutatio per ſe enim ita cauſa corruptionis eſt tempus tex. comm. 117.

His ſic ſtantibus quod variatio temporis variet aërem dicimus, quod aër Beneuentanus variatur primò modo, vt eſt ſucceſſio, ſiuè viciſſitudo quatuor par-

Digitized by Google

tium Anni, Veris videlicèt, Aeſtatis, Autumni, & Hyemis. Quandò enim Sol eſt in Tropico Cancri maximè ad nos accedens; maximè calefacit, & ſicat aërem, & fit Aeſtas. Quandò autem eſt in Tropico Capricorni maximè à nobis recedens; maximè infrigidat & humectat, & fit Hyems. In duobus punctis medijs in æqualitate Vernali aſcendendo, & in Autumnali deſcendendo oportet quod in illa calefaciat, & humectet, & fiat Ver; in hac verò infrigidet, & ſiccet, & fiat Autumnus.

Dices, ſi in Vere Aër Beneuentanus ſit calidus, & humidus, ipſeq; ſit etiam humidus ratione Fluminum, & ſitus vt diximus, ac etiam natura humana ſit calida humida; ſequeretur quod eſſet aër improportionatus habitantibus: & ratio eſt, quia ſimile occurrens ſimili ad furiam incitat, & fit ſicut ignis in igne.

Dices ſecundò, cùm hyemali tempore Nox longiſſima ſit Beneuenti cùm ab Aequinoctio multum diſtet, & cùm ſit in Regione Boreali, habens potiùs hyemem longam, & citò accedentē, quàm Aeſtatem, maximè cauſabitur per Solis abſentiam frigiditas, & humiditas: & eò magis quòd ipſum ver, de ſe eſt excedens in humiditate, vt diximus quæ qualitates excedentes ſunt peſſimæ cùm prima ſit peremptiua, vitæ contraria, & diſſolutionis cauſatiua; Alia qualitas .ſ. humida cauſa eſt aggregationis humorum flegmaticorum, qui mala frigiditatis qualitate, ipſorumque mole ſuffocans, & viſcoſitate poros oppilans, & ductus coarctans, mortem tandem inducit.

Re-

Reſpondetur ad primum, quod calidũ naturæ humanæ, & humidum, & temperamentum Veris humidum Aëris, non ſunt ad inuicem exacuentia, & ad furiam incitantia; cùm ſint ſimilia; in ſpetie, & natura ſe potiùs conſeruantia: non autem, vt quæ in genere corruptiua, & ſic ſit continens proportionatum contento: benè verum quod ratione propriæ humiditatis hoc tempore magis hìc, quàm alibi erunt exituræ per vniuerſum corpus, tuſſes, diſtillationes anginæ, & cæteri morbi Venales; & incolentes ab humiditate ſuperflua ſe debent tueri.

Reſpondetur ad ſecundum, quòd licèt abundet frigiditas extrinſecùs; intrinſecùs verò abundat calor vt patet per Hipp. 1. Aph. 23. vbi ait quod Ventres hyeme, & Vere naturà calidiſſimi ſunt &c. roboratur enim calor internus ex frigore extrinſeco antiperiſtaſim faciente vt etiam confirmat Auerroës, & Galen. quarè concoctio hyeme, ac vere melior, & exhematoſis ideſt chili in ſanguine mutatio, & nutricatio fieri ſolet.

Et quandò dicitur quod abundat humiditas quæ &c. Reſpondetur, quod illa humiditas eſt ſub dominio caloris taliter vigorati .ſ. per Antiperiſtaſim, vndè propter bonam digeſtionem, & calidi vigorationem hyeme adeſt abundantia calidi: quarè Beneuenti incolentes optimè degunt, cùm vitæ cauſa ſit calidi, & humidi proportionalis abundantia, & dominium actiuarum qualitatum ſuper paſſiuas. Vndè in Hyeme cùm ipſa frigiditas remittatur quodammodo, cùm Auſtralibus radijs Beneuentum ſubijciatur, & humiditas præualeat ob ea incolen-

tes

tes ſe tueri debent,at propterea qui ſe malè regunt in pleuritidem, peripneomoniã, lethargum, grauedinem, raucedinem, tuſſes, pectoris, laterum, & lumborum dolores, cephalalgias, apoplexias, cæteroſque morbos hyemales incidunt.

Aeſtas cùm ſit calida, ſicca; caliditas contemperatur quodammodò ex euentilatione circumcircà eueniente, atque ex crircumfuſis montibus, & ſiccitas ipſa humiditate,qua ſcatet remittatur. Euadit aër magis forſan temperatus,quàm alij affines; & proptereà febres non æquè acutæ continuæ, &ardentes accidunt, ſicut in alijs Regionibus in Apulia præſertim pleriſque Campaniæ locis calidis, & ſiccis.

Autumnus frigidus ſiccus, ſed non adeo frigidus, & ſiccus, vt alibi: Auſtralibus enim radijs ſubijcitur, & humiditas in ipſa prædominatur,erit forſan temperatus,vel ſaltem minùs prauus, quam alijs,& non fiunt tot febres quartanæ,nec lienis tumores, nec tot hydropes, &c. ſicut alibi.

Sed notandum quod in Regionibus Auſtralibus propter earum vicinitatem ad rectitudinem ſitus Solis; ſunt Aeſtates longę, quoad influentias complexiuas, citò accedentes, & hyemes breues citò recedentes:in Regionibus verò Borealibus eſt è contrariò propter cauſſas contrarias. Vndè in ſingulis Regionibus non eſt æqualitas in prædictis quatuor temporibus Anni. Quemadmodum eſt æqualitas in prædictis quartis Zodiaci dicta quatuor tempora prædicto modo per motum Solis in ipſis afficientibus: Nam eſt aliqua Regio adeò Auſtralis, quod vix habeat aliquid hyemis, & aliqua adeò Borealis

quod vix habeat aliquod Aeſtatis. Quarè dicta quatuor tempora non habẽt eadẽ principia in omnibus Regionibus;ſed oportet quod Aeſtas citiùs incipiat in Regione Auſtrali, quàm in Boreali; de Hyeme autem contrariò. Vndè clarè videmus quod Aeſtas Beneuenti incipit tardiùs,quàm in nonnullis locis Auſtralibus præſertim in quarto Climate, vbi Aeſtas incipit, cùm Sol fuerit in puncto medio inter punctum æqualitatis Vernalis,&Tropici Aeſtiualis, & erit circa 10.menſis Maij,& in Regione noſtra ſit Medicè loquendo 25. Maij: Autumnus in quarto Climate magis Auſtrali erit in puncto, medio inter punctum Tropici Aeſtiualis, & æqualitatis Autumnalis & erit principium circa 10. Auguſti, Beneuenti verò erit principium 11. Kalendas Septembris.

Hyems verò in Regionibus Auſtralibus in quarto Climate cùm fuerit in puncto medio inter punctum æqualitatis Autumnalis, & Tropici hyemalis, & erit principium circa 10. Nouembris: Beneuenti verò 9. Kalendas Decembris.

Ver cùm fuerit in puncto medio inter punctum Tropici hyemalis, & punctum æqualitatis Vernalis; & erit circa principium Februarij:Beneuenti verò,& in toto ferè hoc Climate 6. Kalendas Martij. & hæc de mutatione vniuerſaliter, vt eſt ſucceſſio ſiuè viciſſitudo temporum .De qualitatibus ſecundis manifeſtis, & de occultis nihil eſt quod dicamus, cùm nihil ſit quod efficiat ad rem. Reſtat autem dicamus de mutatione præternaturali.

Variatur etiã mutatione præternaturali, vt eſt alteratio tẽperationis, ſiuè naturæ temporũ. Quoad quatuor

tuor vniuerſalia; ſi ver ſuum non ſeruauerit temperamentum prauus redditur Aër omnibus locis. Nam dicebat Hipp. 3. Aphor. 8. Certis temporibus, & ſuam tempeſtiuitatem ſeruantibus certi, & tempeſtiui, ac iudicatu faciles, morbi fiunt: in certis autem & alienis, incertæ quoq; egrotationes fiunt, & ad iudicandum difficiles; ſed Beneuentanus forſan minùs. Nam ſi calidus, & ſiccus fiet præ humiditate, qua ſcatet Aër inteparatum redditur, ſi frigidus, & ſiccus cùm ſit expoſitum Auſtralibus radijs, ipſa frigiditas contemperatur, & ſiccitas non præualet propter rationem antedictam: ſi in frigidum, & humidum, cùm corpus ſit aſſuetum in hyeme talibus qualitatibus minùs patiuntur, benè verum ijs morbis, quos diximus erunt obnoxij.

Si Aeſtas ſuum ſeruet temperamentũ propter rationes antedictas meliori fruuntur valetudine Beneuentani; quàm plurimi affines: ſi verò in calidam, & humidam vertatur, tunc erit prauus aër; abundabit enim humiditas tunc de facili, & calor externus: quo fit vt plurimi introducantur morbi in Ciuitate, ſic etiã in quãplurimis Ciuitatibus propinquis licèt minùs, ſi aërem ſiccum haberent: Verùm Beneuentani ſe tuentur aliquantulùm, ſi venti ſæpè ſpirent, & præcipuè Oriente Canicula quando præualent Eteſiæ, quæ huic Vrbi mirum in modum dominantur, ac ſaluberrimæ habentur, apud Hipp. & Galen.

Si Autumnus varietur in qualitate actiua, erit melior alijs; quia quodammodò temperatus euadit quodammodo in qualitate paſſiua: ſicco enim Autumno Viris natura humidis, mulieribus & humidis re-

Regionibus proderit teſte Galen.3.Aph.14.

Si variatur in qualitate paſſiua; ſcilicèt, quod fiat humidus; tunc erit corruptioni obnoxius aër Beneuentanus magis,quàm cæterarum Vrbium affinium; niſi frequenter ſpirent Venti,aut frigiditas ſuperuenerit.

Si hyems variatur in qualitate paſſiua, ſcilicèt, quod fiat frigida,& ſicca Aquilonia,tuſſes mouet, fauces exasperat, aluum indurat, vrinam ſupprimit, humores excitat, lateris, & pectoris dolores facit, tàm multò minùs; quia Beneuentum humiditatem habet, quæ ſiccitati reſiſtit, & Auſtralibus radijs eſt expoſitum, quæ irradiatio Auſtralis, hyemis contemperat aliquantulùm frigus, propter permanentiam Solis ex illo latere. Aeſtate verò non præualet, quia ex illo latere adſunt Montes, ex quibus alteratur ad frigiditatem Aër. de alijs mutationibus non dicam, cùm rarò ſuccedat, vt hyems ſit calida, ſicca; vel calida, humida. & hæc de variatione particulari: & eſt alteratio, ſiuè mutatio proprij temperamenti Vniuerſalium temporum in qualitatibus manifeſtis, & primis. De ſecundis non eſt aliquod conſideratione dignum; niſi velimus dicere de grauitate aëris; cùm hæc omnia ſubſtantiam indicant. Reſtat vt dicamus de mutatione aëris facta à mutatione præternaturali particularium temporum.

Mutatio tempornm particularium eſt, vt dicit Hipp. 3. Aph.4. Quoties eadem die, modò Aeſtus, modò frigus exiſtit; nam tunc morbos Autumnales expectare oportet; & tunc tempus, modò ſit frigidum,

H mo-

modò calidum; modò calidæ, modò frigidæ, & inæquales generantur ægritudines : quarum calidæ, cùm malè ſe habeant ad tempora calida; generantur namque ab illis; & ægritudines frigidæ malè ſe habeant ad tempora frigida, cùm generantur à frigidis; maximè generatur inæqualitas in periodis, in ſymptomatibus, pulſibus, &c. & ſic poteſt variari aër Beneuentanus: ſed cùm ſit, quid commune alijs etiam Ciuitatibus, non oportet vt pluribus me extendam.

Dices, dies naturalis diuiditur in quatuor quadras; quarum vna eſt calida, & humida; ſubſequitur calida, ſicca; poſteà frigida, ſicca; indè frigida, humida: ergò quandò fiunt hæ mutationes, non debent fieri tot morbi; & non debet prauus reputari Aër, cùm ſit naturalis.

Reſpondetur, quòd mutationes, vel ſunt ſecundùm curſum naturæ; ita vt vna ſequatur alteram communicando ſaltim ſemper in vna qualitate; & tunc non eſt prauus aër: vel præter curſum naturæ; ita vt fiat tranſitus ex qualitatibus, ad alias qualitates externas, omninò contrarias, vbi non ſit aliqua communicatio in qualitate; ſed fit tranſitus ad extrema; & tunc ipſe aër euadit inæqualis & prauus: mutationes enim repentinas non ſuffert natura teſte Hipp. 2. Aph. 9. Et hæc de mutatione aëris Beneuentani ex tempore.

CAP.

C A P. XII.

De Ventis in communi.

VENTOS etiam dicebamus aëris mutationem efficere; quorum communem tractationem hic breuiter perſtringere cupimus: confert ſiquidèm propoſito noſtro. Conſiderabimus autem Ventorum generationem, naturam, cauſas generationis, tempus, modum ſpirandi, numerum, & locum vndè proueniunt. Primum autem cognoſcere cupientes, noſſe oportet, duo eſſe Elementa euaporabilia, terra, & aqua, dicente Ariſt. 2. Metheororum; Vndè cùm Sol moueatur in ſuo circulo, & ad nos accedat, eleuantur ex aqua euaporationes humidæ; ex terra autem humidæ, pariterq́ue ſiccæ; euaporationes autem humidæ propriè loquendo, vapores dicuntur; ex quibus generantur pluuiæ, rores, niues, pruinæ, aliæq́ue impreſſiones humidæ; ſiccæ verò, quæ à terra perueniunt cùm proprio, nomine careant, exhalationes vocantur: quæ diuerſæ ſunt ſecundùm quod magis, vel minùs calidæ ſunt, aut mixtæ cum humiditate, & craſſitie. Iuxtà enim earum naturam eleuantur ad aërem, aliquæ propter earum ſubtilitatem inflammabilem ad ſupremam aëris Regionem aſcendunt, ibiq; conuertuntur in impreſſiones ignitas, vt ſunt Stellæ, Comætę, lancea ardens, &c. aliquæ ve-

rò ad mediam aëris Regionem, vbi frigidum locum inuenientes (aëris enim media Regio frigida eſt) propter antiperiſtaſim vniuntur, ac condenſantur propter præſentiam ſui contrarij; ac dùm deorſùm petere conantur impediuntur ex nouis è terra aſcendentibus Vaporibus; Vndè cum neque ſurſùm, neque deorsùm petere poſſint, nec firmæ permaneant; neceſſe eſt vt moueantur deorsùm lateraliter, & ſimul moueant aërem; & ita fit Ventus. Cuius definitio ſaniori parte Philoſ. conſentiente talis eſt.

Ventus eſt exhalatio calida, & ſicca lateraliter mota, circà terram. Vndè propriè loquendo, Ventus non eſt aër motus, vt quidam putãt, licèt cum Vento moueatur aër: quod ſi aliquandò ſapientes dicunt Ventum eſſe aërem motum, ſimilitudinariè loquuntur: conſueuimus enim dicere folles emittere ventum quando comprimuntur; & tamen non eſt Ventus, ſed aër qui propter ſimilitudinem in motu cum Vento, dicitur Ventus. At liceat hanc noſtram ſententiam paucis probarè. Quæcumq; differunt in accidentibus naturalibus in ſequentibus formas naturales differunt in ſubſtantia; ſed Ventus, & aër differunt in accidentibus naturalibus, cum ſequentibus formas naturales: ergò differunt in ſubſtantia; minor patet; nam aër eſt calidus, & humidus, teſte Ariſt. 1. Meth. & 2. de generatione tex. cap. 24. Ventus eſt calidus, & ſiccus.

Item ſi Ventus eſſet aër motus, ſequeretur Ventos, vt aërem, omnes eſſe continuos, & vnum ventum; ſicut vnus aër.

Am-

Ampliùs omnes ſimul flarent, ſi omnes partes aëris ſimul mouerentur, quod eſt contrà Ariſt. dicentem 2. Meth. duos ventos contrarios, non poſſe ſimul flare: aliæ etiam rationes poſſunt adduci contrà hanc opinionem; ſed breuitatis cauſſa relinquo.

Nec etiam valet opinio Antiquorum dicentium, quod aër in ſubſtantia ſit ventus, nubes, pluuia, & aqua: cùm enim tranquillus eſt, vocatur aër: cùm mouetur, vocatur ventus: cùm autem ſpiſſatur & ingroſſatur vocatur nubes: cùm verò in aquam reſoluitur & deſcendit guttatim, vocatur pluuia: cùm autem hæc pluuia eſt in terra ibique quieſcat propter grauitatem, vocatur aqua, nam hæc opinio reijcitur ab Ariſtotele, duabus rationibus quas vide 2. Metheor.

Dices ſi Ventus eſſet exhalatio calida, ſequeretur quod maiores venti deberent eſſe in Aeſtate, quam in hyeme, vel in alijs temporibus. cùm tunc magis vigeat calor: ſic etiã magis in Oriente, & Meridie, ſed hoc eſt falſum, & cõtrà experientiam: Nam in Vernali tempore, aut Autumnali, aut Hyemali frequentiùs ſunt maiores Venti quam in Aeſtate.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia in Aeſtate, & Meridie eſt tanta caliditas, quod prohibet terrã exhalare, & etiam conſumit totam exhalationem eleuatam à terra; & in Hyeme eſt tanta frigiditas, quod terra tantùm conſtringitur, quod ex ipſa non poſſunt eleuari exhalationes.

Dices ſecundò ſequeretur, quod ventus non eſſet impreſſio Methæo. quia materia impreſſionum Meth. non eſt ipſæ impreſſiones, ſed exhalatio calida, &

ſicca

ſicca eſt materia talium impreſſionum, ergò.

Reſpondetur, quòd Ventus non ſolùm importat exhalationem: Sed connotat ipſam laterabiliter motam circà terram: & non eſt inconueniens, vt dicit Tartaretus, impreſſionem aliquam conſtitui in eſſe impreſſionis per formam accidentalem, & maximè quia exhalatio non dicitur materia tranſiens; ſed immanens ipſius Venti; Nàm ipſa exhalatio ſic mota dicitur Ventus.

Dices tertiò; Nos ponimus, & diſtinguimus Ventos penès calidum, humidum, ſiccum, & frigidum; ſecundùm quatuor complexiones, aut tempora anni: ergò non omnis Ventus eſt calida, & ſicca exhalatio.

Reſpondetur, quòd omnes Venti naturaliter; & intrinſicè ſunt calidi, & ſicci: extrinſecè tamen ſunt frigidi.

Dices quartò, tempore Ventorum viget maior frigiditas, quàm in tempore tranquillitatis cæteris partibus, ergò Ventus eſt frigidus.

Prætereà homines calefacti petunt ventilari, quod non eſſet, niſi Ventus frigidus eſſet.

Reſpondetur, quòd illa frigiditas non eſt per ſe ab ipſo vento, qui eſt de per ſe calidus, & ſiccus: ſed hoc eſt per accidens, & ab extrinſeco .ſ. ex mixtione eius cum vaporibus frigidis, & humidis, quibus obuiat: vel etiam ex aëre frigido, cum quo miſcetur, vel ex eo quod ſecum adducit vapores frigidos, vel aërem frigidiorem, quàm ſit aër in quem venit; ratione cuius Boreas, quæ ad nos venit à loco frigido, & tranſit per loca frigida, dicitur eſſe frigida.

Et

Et quando dicitur quòd homines calefacti appetunt euentilari, &c. Dicimus quòd hoc ideò fit, quia per ventilationem commouetur aër, qui eſt frigidior corpore humano, ſeù corpore hominis calefacti.

Dices quintò ſi Ventus eſſet exhalatio, tunc non differret ab impreſſionibus ignitis, quæ exhalatio calida, & ſicca ſunt; ergo Ventus non eſt exhalatio.

Reſpondetur, quòd differunt primò in calore, ſecundò in ſubtilitate, & continuitate; tertiò in loco.

In calore; quoniam illæ inflammantur, vel igniuntur, hæc autem .ſ. Ventus, nec inflammatur, nec ignitur.

In ſubtilitate, & continuitate; quoniam materia impreſſionis ignitæ eſt ſubtilior ad inuicèm continuata, eo quòd humiditas continuans, & conglutinans partes conſumitur actione caloris ſupremæ Regionis aëris.

Materia autem Venti minùs ſubtilis eſt, magiſq; continua, eo quòd non ita conſumitur humiditas continuans in media Regione, ſicut in ſuperiori: & ſic partes Venti continuantur ad inuicèm, dùm ſpirant.

Differunt loco; quoniam materia ignitę impreſſionis aſcendit ad tertiam aëris Regionem, vbi inflammatur, vel ignitur; Materia autem Venti ad mediam Regionem frigidam, in qua fit Ventus.

Ventorum autem cauſſæ quatuor ſunt, videlicèt Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

Materialis eſt ipſa exhalatio ſicca, fumoſa, reſoluta, maximè à terra ſecundùm magis, & minùs diuerſificata.

Formalis, vt dicunt multi, eſt motus ipſe localis, & pro-

probant, quia quando exhalatio mouetur ſic ad latus: tunc eſt, & non durat, & ex hoc inferunt iſtum terminum, Ventus, eſſe connotatiuum; quia connotat motum.

Sed hæc opinio non eſt vera, quia ſi motus localis eſſet forma Venti; cùm motus localis, non ſit aliud à mobili, vt ſuppono: ergò iſte Ventus eſt forma ſui quod nullus diceret.

Quarè poteſt dici, quod forma Venti, ſit forma mixti imperfecti, cui nomen ſpeciale non eſt impoſitum: quod patet ex eo quòd ſic alia mixta habent tales formas ſubſtantiales; ergò, & etiam Ventus, & verum eſt quod hoc mixtum, quod eſt ventus, moueuetur lateraliter, & ille motus conſequitur formã.

Efficiens eſt duplex, propinquum, & remotum; Propinquum, eſt frigiditas mediæ Regionis, nàm ſicut condenſat vaporem humidum in nubem, deindè nubem reſoluit in aquam pluuialem; ita condenſat vaporem ſiccum terreſtrem, & ſubtilem, qui condenſatus à frigiditate Aëris repercutitur, ac mouetur, & motus impellit Aërem, & ſic cauſatur Ventus in media Aëris Regione.

Efficiens remotũ, & Vniuerſale eſt Sol potiſſimè motu ſuo, & calido, ac etiã cũ alijs planetis; Nã Saturnus, cum eo mouet Ventos Orientales, Venus Meridionales, Luna, cum Marte Occidentales, Iuppiter, cum Mercurio Septentrionales: triplicitas etiam Ignea, vt Arietis, Leonis, & Sagittarij concitat Ventos Orientales: Terrea, vt Tauri, Virginis, & Capricorni, Meridionales: Aërea, ſicut Gemini, Libræ, & Aquarij, Occidentales; ſed Aquea qualis

Can-

Digitized by Google

Cancri, Scorpionis, & Piſcis Septẽtrionales 15. etiã Stellæ fixæ prioris magnitudinis Ortu ſuo, & Occaſu commouent Ventos, teſte Ariſt. 1. problem. 3. & Ptol. in Arte Spherica, & Hipp. in libr. de Aëre, aquis, & locis. nonnulli dicunt, tùm Ventorum portas aperiri, cùm Iuppiter, Solem, Lunam, Mercuriumque, aut eundem Mercurium Mars, Diametram radiatione reſpexerit, vel ei quadrata fuerit coniunctus, vel vbi vterque in ſignis Aẽris fuerit, vt in Geminis, & Libra, aut cùm Luna, & Iuppiter in Ariete, & Scorpione pariter fuerunt collocati; Deindè Luna cum Mercurio coniungitur, & hæc de cauſſa efficienti.

Cauſſa finalis eſt ad euentilandum vniuerſum, ac ad remouendum nubes de vna Regione ad aliam; vt fiunt pluuiæ in diuerſis Regionibus, ſuper Arbores, omneſq; plantas, & fruges, & illud patet; quia Nos videmus nubes per Ventos moueri ad latus, quod nõ eſſet; niſi per Ventos iſtæ mouentur, & hæc de diffinitione Venti, eiuſq; cauſſis; dicam nunc de tẽpore.

De tempore in quo maximè generãtur Venti.

VEnti iuxtà Ariſt. doct. 2. Methæor. vt plurimùm generantur in principio Veris, & in fine Autumni; in principio Veris; quoniam hyems ſuccedit Ver, in quo Sol ad Nos propinquat, & magis calefacit terram, quàm in Hyeme: Ideòq; plures eleuat vapores ſiccos, admixtos humiditàti continuanti; alioquin ſi non eſſet illa pauca humiditas cõtinuãs, eſſet vapor ſiccus inflãmabilis, ſubtilis diſcontinuus, & impreſſiones ignitas conuertibilis.

In Autumno, & præcipuè circà finem generantur Venti; quoniam eò tempore Solis calor minuitur, & humectatur terra frequentibus pluuijs; ideò Sol ex terra eleuat plures vapores ventoſos, qui aſcendentes ad mediam aëris Regionem conuertuntur in Ventos; modo ſuprà expoſito.

In Aeſtate verò, non adeò generantur Venti, quoniam licèt eleuentur exhalationes, conſumuntur ab intenſo calore Solis, antequàm deueniant ad mediam aëris Regionem, & quæ eo tempore è terra eleuantur exhalationes, magna ex parte ſubtiles ſunt, calidæ inflammabiles, conuertibiles in ignitas impreſſiones: quæ non poteſt eſſe materia ventorum, cùm requiratur etiam humiditas ipſa continuans, vt diximus, & hoc intelligitur de ventis communibus, vt plurimùm euenientibus; quoniam ſecùs eſt de ventis impetuoſis, vt de Ecnephijs, & de Thyphonibus. Ij enim vt plurimùm in Aeſtate fiunt, & tempore magni æſtus: & ratio eſt, quia exhalatio calida ſicca, eò tempore aliquandò multum ſpiſſa à terra exhalatur, & non poteſt ſubintrare nubē, violenter repellitur inferiùs à nube ad terram, ſecum multùm pertrahens de nube groſſa, & obſcura, & id maximè contingit in diebus canicularibus, in quibus viget Solis æſtus.

De modo, quo ſpirant Venti.

ALbertus in libr. 3. tract. 1. cap. 13. & cap. 21. ait, quòd motus venti eſt tortuoſus; ita quod non aſcendit, nec deſcendit directè, ſed moue-

Digitized by Google

uetur quatenùs per Arcum circuli, & mouetur antè ſe ad oppoſitum ſitum: verbi gratia, Auſter non ad Occidentis punctū, ſed ad punctum Septentrionis ſibi oppoſitum, & ſic de alijs: & ratio duplex aſſignatur; vna ab Aſtrologis; altera verò à Phyſicis, ab Aſtrologis dicitur quòd cùm venti, vt diximus ſuprà, commoueantur, ex Stellis errantibus neceſſe eſt, vt moueatur ad motum illarum; quoniam hoc eſt, veluti principiū in Philoſophia, quādo aliqua cauſſa naturalis per motum ſuum cauſet aliquem effectum, motus ſui effectus aſſimilatur motui ſuæ cauſſæ, in quantum poteſt: & cùm motus planetarum ſit circularis; neceſſe eſt etiam ventorum motum eſſe tortuoſum, & circularem; ad hoc vt aſſimiletur ſuis cauſſis, in quantum poteſt.

A Phyſicis attribuitur hic motus lateralis, duabus cauſſis partialibus: vna eſt leuitas, & caliditas exhalationis, quæ nata eſt mouere ipſam exhalationem ſurſùm: alia eſt frigiditas mediæ Regionis aëris, quæ expellit exhalationem deorſùm, & ipſa nitens ex natura ſua moueri ſurſùm. & non poteſt nec deorſùm propter vapores, è terra venientes, ac ipſis obuiantes, mouetur ad latus. non negamus ſurſùm, vel deorſùm etiam moueri; ſed obliquè non directò diametro, propter rationes antedictas.

Dices quarè talis exhalatio magis mouetur ad vnum latus, quàm ad aliud.

Reſpondetur, quòd hoc eſt à frigiditate mediæ Regionis. Cùm enim frigiditas fuerit fortior in Septentrione, expellit exhalationem ad Meridiem; & ſi fuerit fortior in Meridie, tunc expellet eam ad

Digitized by Google

Septentrionem, mediante tamen aliquo alio, vt diximus, nàm ipſa ſolùm deberet repellere deorſùm.

De numero Ventorum.

DE numero Ventorum variæ fuerunt opiniones. Oribaſius 3. Aphor. poſt medium ait, quoſdam poſuiſſe duos ventos Orientalem, ſcilicèt, & Occidentalem.

Alij propter quatuor Mundi plagas, quatuor Ventos poſuerunt.

Alij verò, vt ſunt Aſtrologi, & Phyſici 12. eſſe dixerunt, Quatuor videlicet principales, Octo autem collaterales iuxtà 12. ſigna Zodiaci; ſiuè propter quatuor anni tempora, vnaquæquæ diuiſa in tres menſes.

Primus, prouenit ex puncto, quod proportionatur loco Aequatoris à parte Orientis, vbi Zodiaco interſecatur immobili; aut vbi Ortus Aequinoctialis eſt, dicitur Solanus, ſiuè Subſolanus, & Apelliotes, quæ nomina ſortitur ab Ortu Solis: vulgari ſermone noſtri Itali appellant, Leuante. Ille, qui ſpirat ex oppoſita parte, ex Occidente, ſcilicèt à puncto quoque proportionato ſectioni Zodiaci immobilis ab Aequatore, ſiuè ab Occaſu Aequinoctiali, dicitur Zefirus; ita dictus, quaſi viuificans, eò quod terræ germina eius flatu viuificantur: nam ζοὶ græcè eſt vita Latinè, ſiuè Fauonius, ita dictus à fauore, quem virentibus præſtat, noſtri appellant Ponente. Qui verò ſignantur ab eſtremis Meridiani, & eſt in pun-

cto

ćto Septentrionis circà Polum Arćticum nobis ſemper eleuatum, vocatur Septentrio à ſeptem Stellis Vrſæ minoris, & Aparćtias à Polo Arćtico, græcè dicitur ἄρχτος, ideſt, Septentrio; à noſtris Italis appellatur vulgari ſermone Tramontana.

Ventus, qui prouenit ex oppoſito, ſcilicèt ſub Tropico Cancri, vocatur Auſter ab hauriendis aquis; & Notus etiam dicitur; quoniam Νοτὶς græcè, latinè humor dicitur; Noſtrates appellant Oſtro, & Mezo giorno. Præter hæc quatuor, ponuntur alij ocτo: quatuor videlicèt ex parte Orientis, & Occidentis, & quatuor ex parte Meridiei, & Septentrionis.

Ex Oriente ſcilicèt ex illa parte vbi Sol oritur, quando eſt in maxima diſtantia ab Aequinoćtiali, tàm Septentrionem, quàm Meridiem verſùs, & ex Occaſu illius in huiuſmodi punćtis: vocatur ergò ille, qui oritur ex Ortu Solis exiſtentis in Cancro, ſcilicèt in Solſtitio Aeſtuali Cęcias, ſiuè Vulturnus, quaſi circà Turres volitans, flat enim in altum; Vndè Lucretius Poëta inquit Altitonans Vulturnus.

Qui verò ex Ortu Solis Meridiem verſùs, Sole exiſtente in Tropico Capricorni vocatur Eurus, ab Εὸς græcè, latinè Oriens: flat enim ab Oriente .ſ. à latere ſubſolari.

Ex Occaſu Solis in Capricorno, Meridiem verſùs, dicitur Africus, quia ab Africa ſpirat.

Ex Occaſu Cancri Septentrionem verſùs, dicitur Circius, quia circuitu hæc perturbat, quæ ſibi obſiſtunt: eſt enim impetuoſus valdè.

A Meridiæ eſt vnus Ventus, qui tantùm diſtat à Meridie Orientē verſùs; quantùm diſtat Ortus Aequino-

noctialis ab Ortu Capricorni,& vocatur Eurus Nothus, ſiuè Eurus Auſter.

Alter verò tantū à Meridie Ponentem Aequinoctialem verſus,quantùm diſtat Occidens Aequinoctialis ab Occaſu Capricorni; & vocatur Auſter Africus; ſpirat enim inter Auſtrum, & Africum.

Ex Septentrione eſt alius Ventus, qui tàm diſtat ex Septentrione Orientem verſus, quantùm diſtat Oriens Cancri ex Ortu Aequinoctiali, & vocatur Chorus, quaſi in ſe claudens Circulum Ventorum: & ab Antiquis dicebatur Chaurus. Alius tantùm diſtat à Septentrione Occidentem verſus, quantùm Occaſus Aequinoctialis ab Occaſu Cancri, & vocatur Aquilo, quaſi ligans Aquas; eſiccat enim: dicitur etiam Boreas à loco, ex quo eleuatur, oritur enim, & flat ex hyperboreis Montibus.

Hæc dicuntur à Philoſophis, & ab Aſtrologis, vt patet in Perigraphia Ventorum.

Moderni autem Nauigantes conſtituunt 16. Ventos; vndè præter illos principales, ſcilicèt Leuante, Ponente, Tramontana, & Mezo giorno, ſiuè Oſtro; ponunt qnatuor alios, vnum inter Orientem, & Meridiem, & appellant Scirocco; alium inter Meridiem, & Occaſum,& vocant Garbino, ſiuè Lebecce: alium inter Occaſum, & Septentrionem, & dicunt Maeſtro: alium tandèm inter Septentrionem, & Ortum, & vocatur Greço: & ſic ſunt octo, qui vocantur Venti principales,ſiuè integri. Sunt etiam alij octo, qui ab ipſis Nautis vocantur Mediumculi inter illos, alter vtrumque ſitos, & denominantur à ventis, quibus adhærent vt v.g. ille, qui eſt inter

Greço-

Græcum, & Subſolanũ, vocatur Græco à Leuante: & ille, qui eſt inter Tramontanam, & Græcum, vocatur Græco à Tramontana: & qui eſt inter Siroccum, & Leuantem, vocatur vulgari ſermone, Sirocco à Leuante: & ſic de ſingulis, & fiunt octo Venti intermedij. & hæc de ventorum numero dicta ſufficiant, vt patet in Parigraphia Ventorum iuxtà modernos Nautas.

De loco Ventorum in vniuerſali, & particulari.

Dicunt nonnulli, quod Venti originaliter proueniunt à Montibus, ſicut Fontes, & Riui, & ibi generantur, & ideò flat ad latus, ſicut fluunt Fontes.

Ampliùs propè Montes ſunt plures Venti, quòd non eſſet niſi ex lateribus Montium exirent. Prætereà ſi Venti non fierent in Montibus, tunc in ſummitatibus quorumdam Montium, poſſent fieri Venti, quòd eſt falſum, & contrà experientiam ſacrificantium in Montibus.

Hæc opinio non recipitur apud bonos Philoſophantes, quia Ecnephiæ, id eſt magni Venti, qui veniunt antè magnam pluuiam; quandoque veniunt ab alto vſquè deorſùm, nec ibi ſunt Montes à quibus proueniant: ergò non veniunt ex Montibus.

Item dato, quòd non eſſent Montes, adhuc ſiccę exhalationes poſſent eleuari, & per frigus mediæ Regionis comprimi, & repelli ad latus propter Occaſum aliorum vaporum.

Ex

Ex his deducimus, quòd Venti maximè generantur in Montibus propter rationes antedictas; tùm quia Montes ſunt propinqui mediæ Regioni, & ipſa exhalatio ſicca, de facili condenſatur, & repercutitur à frigiditate mediæ Regionis. Indè eſt quod omni ferè tempore ex magnis Montibus, & ſuper eorum ſummitates, ſpirant Venti, aërem impellentes, vt experimur ſi altas Turres aſcendamus.

Generantur etiam Venti in paludibus deſertis, & in Regione humida, humiditate continuante partes terræ; ſed non diſſoluente in lutum. Ex illa enim humiditate eleuantur vapores humidi, qui aſcendentes conuertuntur in pluuiam; vndè quando videmus Regionem latam ſylueſtrem, non occupatam denſis ſyluis, Sol eleuat multos vapores ventoſos tempore Veris, & Autumni; qui cùm non reſoluantur ex debilitate caloris Solaris, & aſcendant mediam aëris Regionem, fiunt Venti, vt diximus.

In Vallibus autem, raró generantur Venti: vmbræ enim Montaneæ prohibent eleuationem vaporum ex Sole, & ſi in Aeſtate eleuantur conſumuntur in fundo Vallium propter intenſum feruorem radiorum Solarium, qui ibi ſunt magis multiplicati, magiſque vniuntur. & hæc de locis in communi ſufficiat.

De locis particularibus.

SEptentrio, Aquilo, & Chorus ſpirant in circulo Arctico. Auſter, Euro Auſter, & Auſter Africus ſpirant ex Tropico Cancri ex parte Poli Antartici.

Subſolanus, Vulturnus, & Eurus ab Oriente; verùm Vulturnus à Tropico Aeſtiuali, Eurus à Tropico Hyemali.

Zephyrus, ſiuè Fauonius, Africus, & Circius Occidentales: verùm Aphricus à Tropico Hyemali, Circius à Tropico Aeſtiuali, vndè verſus.

Sūt Subſolanus, Vulturnus, Eurus Eoi,.i. *Oriētales*
Circius Occaſum, Aphricus, & Zephyrus afflant
Adueniunt Aquilo, Septētrio, et Chorus ab Arcto,
Atq; die medio, Auſter, Aphricus, Notbus Euro
(Auſter.

Cùm ſit ſufficienter dictum de loco vniuerſali, & particulari; dicendum nunc de Ventorum proprietatibus, prout ab inuicèm diſtinguntur: & quoniā medij Venti ſapiunt eſtremorum naturam, ſecundùm magis, aut minùs; ideò de principalibus tantùm verba faciam.

Qualitas, & natura omnis Venti, ratione materiæ eſt ſicca magis, ac etiam calida, vt diximus, licèt poſſit dici frigida originaliter ratione terræ, à qua eleuatur; ſed ex parte formæ diuerſificatur per loca, vndè tranſit, tàm ex parte Solis, quàm elementaris materiæ.

Nàm Venti Orientales calidi moderatè, & ſicci ſunt: & cauſſa huius eſt, quia naſcuntur ſub radijs Solis, cùm non dùm extet in ſuo vigore, neque diù ſunt ſub eo: ſunt ſicci; tranſeunt enim per loca altiora ſicca, & modicùm aquoſa.

Meridionales Venti, quia veniunt de ſub Sole, quan-

dò eſt in eius potentia, ſuntque diù ſecum, ſunt calidi: & quia per maria, & aquatica paludoſa permeant, humidi etiam fiunt diſtemperati: & proptereà dicebat Hippocrates 3. Aphor. 5. Auſtri hebetant auditum, caliginem obducunt, corpora diffundunt, pigrioraque faciunt, & caput aggrauant; Galenus reddendo cauſſam huius dicit, hoc non eſſe difficile inuenire ex eius temperamento, quippè quod calida ſit, & humida natura, &c.

Occidentales verò, quia flant Sole recedente, & debili, frigidi ſunt menſuratè: & quia loca permeant multùm aquoſa, redduntur magis humidi, quòd loca, per quæ tranſeunt, ſint aquoſa, patet per Ariſt. 1. Probl. 26. Magnitudo, & profunditas Maris eſt apud Occaſum.

Septentrionales, quia diſtant à Solis inceſſu, & ſuper loca tranſeunt arida, congelata, frigidi ſunt, & ſicci valdè, & proptereà dicebat Hippocrates, Aquilones corpora conſtipatiora, coloratiora, &c. & ſerenitatem inducunt: & hæc faciunt propter duplicem cauſſam.

Primò, quia habent ſpiramen quaſi rectum, quia minùs tortuosè ſpirant, quàm alij Venti: & poſſumus dicere, quod ſpirant quodammōdo per lineam rectam; quo fit, vt faciliter diſſipentur nubes antè ſe inuentæ, illas quaſi ſecantes, & diſcriminantes per modum lanæ dilaceratæ, cùm autem nubes diſſipantur; non adeò condenſantur, & conuertuntur in aquam pluuialem; & ideò inducitur ſerenitas.

Secundò, ex ſua frigiditate, & ſiccitate conſtringitur terra, ne emittat humidum vaporem, qui aſcen-

dens

Digitized by Google

dens conuertitur in nubem; deindè in pluuiam.


Concludam tandèm temperatioris naturæ, eſſe Orientales; deindè Occidentales; diſtemperatos verò reliquos.

Ampliùs ſaniores eſſe per ſe Orientales; Septentrionales verò per accidens; deteriores autem Meridionales, quaſi autem medios Occidentales. hæc quo ad vniuerſalia vera, vt plurimùm reperiuntur: diuerſificantur verò multoties propter varias diſpoſitiones Maris, Montium, & locorum, & propterea non erit à ratione alienum, quo modo ſe habeant Venti in Regione Beneuentana, ratione Montium, Vallium, aliorumq; locorum, circumſtantium verba facere.


***

Digitized by Google

Ventorum.
Perigraphia iuxta Aſtrologos, ac philoſophos



Pegraphia uentorū iuxta modernos nautas



C A P. XIII.

De mutatione Aëris Beneuentani ex Ventis.

QVONIAM in ſuperiori Capite ſatis dictum eſt de generatione Ventorum, de eorum numero, de modo ſpirandi, &c. Reſtat ſolùm, vt dicamus, quomodò ex eis Aër Beneuentanus varietur. Et quia Solis calorem, Ventorum efficientem cauſſam eſſe, anteà traditum eſt; ac certam quandam Solis ad terram diſtantiam requiri dicebamus, vt exhalationem tollere valeat; & poſt quam ſuſtulit, non abſumat: clarè conſtat, quòd pro Solis vario motu, variaque diſtantia, in hanc, vel illam partem Venti excitantur: & quoniam Solis motio continua eſt, efficitur, vt Venti in Regionibus ſibi cohærentibus, alter poſt alterum, vt plurimùm oriantur; prioribus ſemper ſedatis. quarè cũ Sol fuerit in Ortu Brumali, & Subſolanus ſpiret ad Ortum Aequinoctialem, Sole procedente quieſcit Subſolanus, & Cæcias, ſiuè Vulturnus, qui ſequitur ſolet ſpirare: cùm autem ad Aeſtiuum peruenerit, Aquilones ſpirabunt, illo ceſſante; & ſic de ſingulis ſuo ordine: ſed hic ordo perpetuus non eſt ob materiæ defectum; inquit enim Theophraſtus, per ſe etiam Ventos in contrarios mutari; quod euenit cùm nubes in contrarium locum pulſæ fuerint.

His

Digitized by Google

His ſic ſtantibus, pro maiori dilucidatione dicemus, quomodò ſe habeant Venti omnes ad Ciuitatem Beneuentanam; ad hoc, vt ſi vnus Ventus præualeat Ortu Brumali; rectè ſciamus, qui Ventus ſubſequatur, vt plurimùm Ortu Aequinoctiali; & ſic de ſingulis: & quomodò, & qua parte ipſam Ciuitatem ventilent.

Spirant Orientales Venti ex capite Ciuitatis; quarè cùm Ciuitas magna ex parte declinet in humili Colle, vt diximus, maior quoque eius portio, & præcipuè extrema, vehementer tales Ventos non ſentit. Diſponuntur reſpectu Ciuitatis tali pacto; ſpirat Subſolanus ab Ortu Aequinoctiali, & à quibuſdam humilibus Collibus deſcendens, directè Ciuitatis Caput percutit. Cæcias, ſiuè Vulturnus ab Ortu Aeſtiuo, quaſi per Caſtrum Apicij, tranſiens per quoſdam etiam Colles, ad Ciuitatis Caput deſcendens, ex latere Septentrionali, Ciuitatem perflat. Eurus ob Ortu Brumali per quoſdam alios Colles; ſed humiles, Caput Ciuitatis percutit, totamque Ciuitatem ex Auſtrali parte.

Venti Occidentales obuiam veniunt Ciuitatis pedibus, Fauonius, ſiuè Zephyrus ab Occaſu Aequinoctiali procedens à Vallenſibus, Montibus, & propriè medijs directè pedes ferè perflat: lateralium verò vnus, ſcilicèt Aphricus, Meridiem verſùs ex extremis Montibus Vitulani, & propè Herculeum Montem, deſcendens ex latere, extremum Ciuitatis percutit; Alter verò Septentrionem verſùs, & propriè ex Monte Sancti Angeli Vitulani, Circius deſcendens lateraliter pedes Ciuitatis ventilat.

Meri-

Meridionales Venti feriunt medium Ciuitatis; ex Montibus Beatæ Virginis appellatis, prouenientes, cæteriſque cohærentibus; ex parte Fluminis Sabathi, & Portæ, quam Rufinianam appellant; perflant: & ſunt Auſter, Euro Nothus, & Auſter Aphricus.

Septentrionales eodem modo Ciuitatem ex latere perflant, ex Collibus Francauillæ prouenientes ex parte Fluminis Caloris, & Portæ, quam Auream appellant, eam ventilant; & ſunt Aquilo, Septentrio, & Chorus.

Notandum, quòd ſunt quæda m loca ſpecialia, quæ, & ſi Sol iam in Regione illa ortus ſit; quoniam tamen Montibus obſidetur, illum interdùm, non niſi hora ab eius exortu, plùs, vel minùs poſſunt videre; propter quod Venti, qui ibi ſpirant, ſolent eſſe frigidiores; hoc tamen non eſt Beneuenti, licèt ipſum circumfuſum Montibus reperiatur. ex Oriente enim non habet Montes, niſi quoſdam humiles Colles, qui Solem multùm abſcondere nō poſſunt.

Vndè cùm non abſcondatur in Ortu, & per Meridiem totam Ciuitatem perluſtret, eiuſque Regionem calefaciat, in ea ſuauia fiunt omnia, ac maiora, quàm alijs partibus frigidis; Solis enim intenſiori calore iſtic dominante, atque terris pinguefactis ex halitibus Fluminum, per illam Regionem tranſeuntium, hæc fiunt; Eadem ferè ratio adducitur ab Ariſtotile ad probandum, quarè in Oriente ſuauiora, & maiora omnia, quaſi fiant, quàm in Occidente: Nam dicebat ipſe, quod Solis calore intenſiori illic dominante, atque terris pinguefa-

ctis

Digitized by Google

ctis ex halitibus Oceani fiunt omnia ſuauiora, atq; maiora.

Notandum, quòd cùm Sol in Aequinoctio Verno reperitur, Venti illi, qui circà conuerſiones actiuas poſiti ſunt; vt Cæcias, & Aquilonij, ſpirare vt plurimùm, ſolent; Vndè cùm iſti Venti ex Collibus Francauillæ (vt diximus) deſcendentes, Ciuitatem ventilent; ipſique frigidi ſint, & ſicci; ad frigiditatem, & ſiccitatem aërem mutant; verùm cùm proprius, & circumfuſus aër ſit natura humidus, ac quodammodò craſſus, non adeò fit Aër frigidus, ſiccus, & ſubtilis; & per conſequens minùs proueniunt, illis temporibus, huic Vrbi, morbi ex Aquilonibus prouenientes; vt ſunt tuſſes, fauces, Alui duræ, pleuritides, dolores pectorum, & lumborum, vt patet ex Hippoc. 3. Apho. Quarè Verno tempore, prædominantibus iſtis Ventis, circumfuſa Caſtra, quæ ſubtiliorem, ſicciorem, & frigidiorem Aërem habent, vt ſunt Mons Fuſcus, Vitulanum, cæteraq; Oppida iſtis propinqua, magis, quàm Beneuentum ſupradictis morbis affliguntur, vt patet in hoc anno 1608. pleriſque etiam annis, idem experientia comprobauimus.

Dices cur in Aequinoctio Verno magis ſolent ſpirare huiuſmodi Venti Aquilonares, quàm alij.

Reſpondetur, quia tunc Sol ad ea loca accedere incipit; nec tamèn adeò ad illa accedit, vt exhalationem reſoluat.

Cùm verò Sol fuerit in Aequinoctio Autumnali Africus, vt plurimùm ſolet ſpirare, cæteriqúe Auſtrales; quarè ratione Ventorum immutatur Aër ad

calidum, & humidum: verùm hæc humiditas ratione Ventorum nõ præualebit propter maximam ſiccitatem ab Aeſtate introductam; noceret vtique ſi Aeſtas pluuioſa fuerit, & poſteà hi Venti ſpirauerint. tunc enim ob innatam Aëris humiditatem ventoſque Auſtrales; & talem præcedentem Aeſtatem Aër ſuperfluè humidus aptiſſimus ſit corruptioni eoſque producit morbos, quos recitat Hippocrates 3. Aphor. vbi ait, Auſtri hebetant auditum, caliginem obducunt, caput aggrauant, &c. præterea teſte Hippocr. 3. Apho. 16. ex illis fiunt febres longæ, fluxiones alui, putredines, Epilepſiæ, Apoplexiæ, & Ancinæ, &c. Et magis hìc, quàm alibi: ſed hoc raró accidit. ſufficit dicere quod vt plurimùm meliori fruuntur valetudine Beneuentani, quàm circumiacentes affines ſubtiliorem aërem incolentes.

Dices cur in Aequinoctio Autumnali Africus, cæterique Auſtrales Venti ſolent ſpirare.

Reſpondetur, quia Sol ad ea loca ſimiliter pergit, vel vt dicit Vicomercatus magis propriè loquendo: quia Sol ab illis locis recedere adeò incipit, vt ortum Ventorum non impediat, cùm anteà calore ſuo impediuiſſet.

In conuerſionibus Aeſtiuis Fauonius, ſiuè Zephyrus ex Montibus Valli deſcendens, cæterique Orientales, pedes Ciuitatis inſufflando ad frigidum, & humidum moderatè Aërem mutat.

In conuerſionibus Brumalibus Vulturnus ſolet ſpirare, cæterique Orientales Aërem ad calidum, & ſiccum moderatè mutando: verùm cùm anni tempus ſit humi-

humidum, & Beneuentanus Aër ſua præ natura ſit humidus, potiùs hic quã alibi incolentibus accidũt fluxiones ex capite ad ſupradictas partes, vt ſunt Coryzæ, Branchi, Catarrhi partiũ humiditates, &c.

Dices cur in conuerſione Aeſtiua Fauonius, in Brumali Vulturnus ſpirat; cum potius contrarium eſſe deberet; nam calidioribus temporibus, calidiores Venti, frigidioribus frigidiores ſpirare deberent. Calidiores ſunt Orientales, vt Vulturnus Subſolanus, &c. frigidiores Occidentales, vt Fauonius, &c.

Reſpondetur, ex doctrina Olympiodori, quòd Venti Orientales ideò Aeſtate non ſpirant; quia eo tempore Orientales partes Sol adeò calefacit, vt exhalationem conſumat: Fauonij itaque eo tempore ſpirant, cùm partes Occidentales ſint calore modicè affectæ. Hyeme Occidentales deſinunt; extinguitur enim exhalatio nimio frigore; ſed exoriuntur Subſolani, quia in Orientalibus partibus, quæ calidiores ſunt, quàm Occidentales, exhalatio ita extingui nequit.

Dices Ariſtot. 2. Methæor. narrando primas Ventorum qualitates ait, Aeſtuoſi ſunt Auſter, Fauonius, & Vulturnus; ergò Venti Occidentales non ſunt frigidi, cùm Fauonius ſit Occidentalis.

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles in illo loco ait, æſtuoſi ſunt Auſter, Fauonius, &c. Non quia ſint calidi: ſed per ly Aeſtuoſi intelligitur, quòd in Aeſtate ſpirant, vel poſſunt dici Aeſtuoſi reſpectu Ventorum Aquilonarium, qui frigidiſſimi ſunt.

Dices Ariſtoteles 2. Methæor. ait, quòd Venti Eteſiæ, poſt conuerſionem Aeſtiuam continenter ſolent

ſpirare, ergò non eſt dicendum, vt diximus ſuprà, quòd ſoleant ſpirare Occidentales.

Reſpondetur, Ariſtoteles multoties refert Septentrionales Ventos ad Occidentales; quemadmodū Subſolanum, cæteroſque Orientales, multoties ad Auſtrales refert.

Dubitabit adhuc aliquis, cur iſti Venti Eteſij poſt conuerſionem Aeſtiuam, & propriè circà Canis exortum ſpirant, & non anteà, vel hyeme.

Reſpondetur; Sol cùm maximè vicinus eſt, quod ſanè accipit in Aeſtiuo Solſtitio, ità terram calefacit, vt totum ferè humorem, quem in ea inuenit illum nimio ſuo calore pótius eſiccat, quàm in halitum vertatur, quemadmodum nimijs caloribus Venti nulli fiunt: vt patet exemplum de magno igne exiguam materiam comburente, quæ prius conſumitur, quā appareat aliqua euaporatio, & propterea iſti Venti tali tempore non ſolent fieri.

Non fiunt in hyeme, Sol enim non habet vim calefaciendi, & quæ gelu conſtricta ſunt liquandi, quo exhalatio poſſet eleuari, ſiquidèm nihil quod gelu conſtrictum ſit, halitum reddit, teſte Ariſtotele prętereà nimio frigore extinguitur exhalatio, vt diximus anteà, & propterea Eteſij non fiunt, neque in Solſtitio Aeſtiuo, neque Brumali.

Dices ſi Eteſij non fiunt in Solſtitio Aeſtiuo propter nimium calorem, &c. vt dixiſti ſuprà; neque deberent fieri circà Canis exortum: nam tunc ardentiſſimus eſt calor, & multò interdùm, quàm in Solſtitio ardentior, vndè dicebat Plinius ardentiſſimo Aeſtatis tempore Caniculæ oritur ſydus: vndè & cor-

corpora noſtra eo tempore peiùs ſe habent, & quia calor tunc vehementiſſimus eſt, dicebat Hippocrates 4. Aphor. ſub Cane, & ante Canem difficilis eſt medicamentorum vſus; ergò tunc Venti Eteſij deberent minus fieri propter rationem paulò antè allatam.

Reſpondetur, quod in Solſtitio licèt ſit magnus calor, non ſoluuntur omnes niues; ſed earum quædam partes magis liquabiles, & ſolubiles; vt quæ gelu ſunt minùs concretæ: non enim magnam moram adhuc fecit Sol: ſed quia terra ſtatim exiccatur exhalatio non redditur, & propterea non fiunt Venti Eteſij: in Canis verò exortu poſt conuerſionem calor ardentior eſt magnaq; terræ ob eam cauſſam exiccatio. Quo fit vt nimiùm, & glaciei multò plùs, quàm ſub Solſtitio liquetur, & maximè hæ partes, quæ erant magis gelu concretæ, aëremque calidiorem requirebant, & ſic cum omnes ferè partes niuis reſoluantur, præbetur materia ventorum Eteſiorum, cùm poſſit fieri exhalatio.

Dices ampliùs, cur Venti Eteſij interdiù ſpirant non noctu.

Reſpondetur ex Ariſtot. quoniam in nocte frigus eſt in cauſſa, vt quæ die liquebantur niues, liquari deſinant, & ſic Eteſijs excitandis materia deficit; nam quod gelu conſtrictum eſt, halitum non mittit.

Dices denuò, cùm calor ſit per Solem, quantò magis appropinquat noſtro Zenit, tantò magis debet calefacere; ergò in Solſtitio deberet fieri maximus calor cũ tunc magis accedat ad nos, & non in ortu Canis, vt diximus ſuprà; quia tunc incipit ſe abducere.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur, quod ad hoc vt fiat maximus calor, non ſolùm requiritur, vt Sol accedat ad nos: ſed vt diù moretur modò in Solſtitio, licèt magis appropinquat; non tamèn diù moratus eſt: ſed in Canis ortu diutiùs moratus fuit Sol, & inductus calor, tunc magis intenditur, quia adhuc in propinquo eſt, & non multùm ſe abduxit.

Dubitatur item apud Ariſtotelem, Venti Auſtrales dicuntur Eteſij; ergò dicendum, vel quod Septentrionales non ſint Eteſij, vel quod ambò ſint Eteſij.

Reſpondetur, quod Eteſiæ dicuntur ἀπό τοῦ ἐτήσιος græcè, latinè annui, quia iſti venti annui ſunt, & certo anni tempore flant; dicuntur Eteſij; Quarè cum etiam Auſtrales certo anni tempore flant; dicuntur etiam Eteſiæ; verùm ſimpliciter loquendo Eteſiæ intelliguntur Septentrionales, tùm quia ſunt in noſtra Regione, tùm quia magis continui, ac vehementiores ſunt.

Dicent aliqui, cur Aquilones Eteſij poſt conuerſiones Aeſtiuas continenter ſpirant: Auſtri poſt conuerſiones hybernas continenter non perflant; cùm ſit eadem ratio vtriſque ventis.

Nàm ſicut in Solſtitio Aeſtiuo Sol ad Aquilonarem partem accedendo poſt conuerſionem continenter ſpirant Aquilonares Eteſię; eodem modò cum Sol in Solſtitio Brumali ad ipſam partem Auſtralem declinauerit continenter Auſtrales Eteſiæ ſpirare deberent.

Reſpondetur, quòd Etheſiæ Septentrionales continenter ſpirant: à Septentrionalibus enim noſtris partibus perflant, in quibus maxima Aquarum; & niuium

niuium copia eſt, quæ Solis acceſſu,& motu liq uantur, materiaque Eteſijs ſuppeditant in Canis ortu; quòd non erat in Solſtitio, vt diximus, quia tunc non erat Sol diù moratus, licèt in propinquo ſit.

Auſtri Eteſij non ſpirant continenter:ſed 70.die poſt conuerſionem Brumalem, & minores, & non continuati: ſed per interualla;quoniam in conuerſione, & vſque ad ſeptuageſimum diem Sol adhuc à loco à quo ſpirare incipiunt, longior eſt:quare minus eſt potens, & quia vis Solis debilis eſt in Hyeme, ea tantum, quæ in ſumma ſunt tellure excernit, atque liquat,& propterea debiles, & non cõtinuati fiunt.

Dices contrà venti iſti ſpirant ab Auſtro, ad quem plus accedit Sol in Solſtitio Brumali, quàm in 70. die poſt conuerſionem ;ergò vel dicendum malam eſſe ſolutionem;vel quod ſpirant continenter in ipſo Solſtitio,ſed experientia docet contrarium cum non ſpirent; niſi poſt 70. diem; ergò alia ratio eſt aducenda.

Reſpondetur, quod iuxtà mentem Ariſto. Eteſiæ Auſtrales non ſpirant ab Auſtro; nàm ſi ab illo Polò ſpirarent; tunc argumentum eſſet in ſuo robore, & vtique Eteſiæ ſpirarent continenter poſt Solſtitium Brumalem, cum eo tempore maximè ad Auſtrum accedat: ſed ſpirat à Tropico Cancri, à quo Sol maximè diſtat in Solſtitio Brumali, & propterea cum accedat ad Cancrum poſt 70. diem incipiunt flare Venti, qui dicuntur Eteſij Auſtrales.

Et quando dicitur vt à Polo Septentrionali Aquilones Eteſij ſpirant, ſic à Polo Antarctico alij ſpirare deberent, quia par eſt ratio,vt diximus ſuprà.

Re-

Reſpondetur, quòd à Polo alius ſpirat Ventus: ſed non eſt de numero Eteſiarum Auſtralium: ſed alius, de quo apud nos non fit mentio; quoniam huc vſq; progredi non poteſt; quemadmodum nec Aquilo illuc quidem pertingit, quippè qui nèc per totam noſtram habitabilem feratur, cùm flatus ſit quidam obterraneus, quem Ariſtotiles ἀπόγεων πνέυμα, nominat, hoc eſt ſpiritus, qui non longè à loco, in quo oritur progreditur; & non ſolùm non ſpirant ab altero Polo Auſtrales Eteſiæ: ſed nec à Solſtitio Brumali, quia alios, qui noſtrum Polum verſùs ſpirarent, à conuerſione Aeſtiua oriri oporteret, vt proportione inter ſe Venti reſponderent: ideò neceſſario ab Aeſtiua conuerſione ſpirant. Quàmplurima etiam dubia poſſent fieri: ſed hæc pro curioſis dicta ſufficiant.

Notandum, quod aliquandò hanc Ciuitatem Aquilo, & Auſter vehementer ſimul ventilant; licèt nunc raro; antiquitùs verò ſæpiùs, & vehementiùs, ex quo Maleuentum fuit appellatum.

Dices in ſuperiori Capitulo dictum fuit ex authoritate Ariſtotelis duos contrarios ventos non poſſe ſimul flare; ergò quomodò poſſunt hi duo venti contrarij Auſter videlicèt, & Aquilo hanc Ciuitatem aliquando ſimul vexare?

Reſpondetur, quòd Ariſtoteles, dixit, duo contrarij Venti non poſſunt ſimul ſpirare, ſcilicèt per multum temporis ſpatium: flatus enim illi contrarij durare diutiùs non poſſunt: ſed eſt neceſſe, vt alter illorum alteri cædat.

Et

Et quòd ſpirant aliquando cõtrarij, Venti experientia patet, & exemplo Helicæ, & Buræ in Achaia in terremotu, qui ibi fuit Ventorum flantibus contrarijs inundatione excitata (vt Hiſtoriographi dicunt) hoc Ventorum ſenſerunt certamen; ac tandem merſæ fuerunt.

Notandum prætereà, quod cùm ſingulis anni temporibus, ſinguli vigeant humores: hyeme pituita, ſanguis vere; Aeſtate bilis; Autumno Melancholia: Ideò fit, vt qui praua vtuntur ratione victus, non eoſdem habent omni tempore morbos; Vere enim dicebat Hippocrates fiunt Melancholiæ, inſaniæ, morbi comitiales, ſanguinis profluuia, &c. Aſtate alij; alij Autumno; alij Hyeme; vt patet 3. Aphoriſm. ex Hippocrate; itaque ipſorum immutantur formæ pro anni tempore, ætate, & temperatura. pro naturis enim, & ætatibus tùm corporum alterantur temperamenta, tùm humorum exuperantiæ diſſident; & proindè pro harum etiam ratione commutantur; nunc ſpecies morborum: vt patet benè intuenti, & conſideranti ea, quæ dicit Hipp 3. Aph. Quarè Beneuentum, quia frigidum, & humidum ſuperfluè Aërem habet, hyeme morbos, prout poſtulat eius natura, parit, & faciliùs corripiũtur Beneuentani huiuſmodi morbis; vt Coryzis, Branchis, Catarrhis; & ex Capite ad ſubditas partes diſtillationibus. Contrarij verò, vtpotè, qui calidiore, & ſicciore fruuntur aëre, ægriùs corripiuntur. Et ſi aliquandò Aeſtas calidior, & humidior fuerit vt in ſecundo de morbis vulgaribus Hippocrates recitat: maximè morbis putridis, vt febribus,

carbunculis, &c. Beneuentani faciliùs afficiuntur, propter innatam Aëris humiditatem, licèt non admodum poſſunt huiuſmodi morbi ſæuire; cùm Beneuentum ſit ſitum in plano, & humili Colle reclinet, vt diximus ſuprà; & omnibus Ventis maximè ſit expoſitum; præcipuè Eteſijs Aquilonaribus, qui tali temporum conſtitutioni reſiſtunt, & huic Vrbi maximè præualent, vt patet per Gale.3. Aphoriſ. 11. vbi loquendo de tali temporis conſtitutione; ait pueros, mulieres, locaque præhumida in Aeſtate morbis putridis affici; vtpotè Terra humectata, & humido prædominante ſuffocante Aeſtum, & grauem efficit. Eteſijs nimirum nondùm flare ſolitis; nam ij poſteriùs, & poſt Caniculam flare incipiunt: at ſi Eteſiæ flauerint ſpes eſt eiuſmodi quieturos morbos. hæc dicit Galenus. Prætereà alij Venti omnes huic Vrbi ſunt ſalubres; & licèt Auſtrales non ſint de ſe tales; tamèn, cùm tranſeant per Montes Beatæ Virginis appellatos, cæteroſque circumfuſos Montes, quaſi ſemper niue redundantes; veniunt alterati ad hanc Vrbem; ita vt ſi non ſint ſalubres, ſaltim non adeò noceant, veluti alijs partibus.

Notandùm prætereà, quòd Vulturnus lateralis, Ventus Orientem verſùs, licèt de ſui natura ſit potiùs moderatè frigidus; Beneuentum tamen flando calidus prouenieus ex Apulia ſuffocantem Aeſtum, atque grauem efficit. in Apulia enim ingentiſſimus ſentitur Solis feruor æſtiuo tempore; & eò magis cùm frumentorum ſtipulæ vruntur; quarè cùm

ex

ex ea parte ſpirant Venti; Beneuentani non benè valent; licèt hi rarò præualeant; diximus enim ſupra Aeſtiuo tempore Occidentales, & Aquilonares magis prædominari; hic autem Ventus participat naturam Orientis, & propterea, à recentioribus nautis vulgari ſermone vocatur Greco Leuante; & hæc de Ventis in vniuerſali, & particulari dicta ſufficiant.

***

Digitized by Google

CAP. XIIII.

De mutatione Aëris ex Situ.

AEREM mutari ex ſitu, tùm Geographo, tùm Chorographo, clarè conſtat ex ijs, quæ diximus, cùm loquuti fuimus de vi, atque efficacia ſitus: ſed ne in hoc capite ſilentij crimine plectar, dicam pauca; & primò quod varietur Aër ex ſitu Geographo Gal. 1. oratione ſuaſoria ad bonas artes c. 4. & lib. 6. Epid. cap. 8. comm. 6. ait, ſcimus Thebis craſſum, vt in tota Bœotia; Athenis tenue cœlum; ideò ingenio acuto Atticos; craſſo Thebanos fuiſſe commemorat; & Laërtius lib. 1. de Vitis Philoſophorum, & Herodotus lib. 4 cap. 4. ait, Athenis per multi Philoſophi, apud Scytas, vnus tantùm, ſcilicèt Anacharſis fuit. & Gal. lib. quòd animi mores corporis temperaturam ſequantur, ait ſtulti Apud abderitas multi; Athenis verò pauci fuerunt, quæ omnia prouenire ex vi, atque efficacia ſitus aërem immutantis, clarè conſtat apud Galenum.

Variatur etiam Aër ratione Climatum; nam iuxtà Galeni Sententiam in quarto, & quinto Climate Aër temperatus eſt; Alijs verò locis intemperatus hic in vna, illic in altera qualitate excedens.

Dices apud Hippocratem, & Galenum quartum Clima dicitur temperatum, vt patet lib. 3. Aphor. cap. 14. & libr. 3. de humoribus cap. 12. & lib. 2. de ſanitate

tatẽ tuenda cap 7. vbi ait, quòd ſua Regio temperata eſt, cuiuſmodi Patria Hippocratis,& lib. 2. de temperamentis cap. 6. ait, Noſtra Regio vtique temperata eſt, quæ eſt in quarto Climate; ergò malè dixmus quod temperatum eſt quartum Clima, & quintum; cùm tantùm de quarto Hippocrates, & Gal. mentionem faciant.

Reſpondetur, licèt ab Hippocrate, & Galeno quartum Clima dicatur temperatum; non propterea quintum omninò excludunt; dicunt enim ipſi propriam Regionem eſſe temperatam; & Pergamum ipſum; & tamèn ſunt in quinto Climate, & non in quato, & patet ex Ptolemæo libr. 5. ſuæ Geographiæ, Aſiæ tabulis, & vt benè notat Volaterranus lib.2.Geographiæ notat Pergamum gradibus quatuor propinquiorem eſſe Polo Arctico, quàm Rhodum, à quo quartum Clima nomen ſortitur διὰ ῥόδου, quod oſtendit Pergamum non eſſe in quarto Climate,ſed in quinto; Galeni ergò opinio erit, quartum præferri debere, & quinti magnam portionem eſſe temperatam: & idcircò Auerroës libr.2. Methæor. ait, Clima magis temperatum homini, & pluribus animalibus, & plantis, eſſe Clima quartum, & quintum,& laudauit præ cæteris quintum;Idem ſentit Amatus Luſitanus centuria tertia, curatione decimatertia medicinali. Idem Manardus,& Braſſauolus: & hæc de variatione Aëris ratione ſitus Geographi.

Quo ad ſitum Chorographum, dicimus cum Hippocrate libro de Aëre, aquis, & locis in principio, ſi quis ad Vrbem ſibi incognitam peruenierit circum-

ſpicere

ſpicere oportet eius ſitum, quomodò ad Ventos, & Solis exortus iaceat; non enim æquales vires ſunt ad Septentrionem ſitæ, & vergentes ad Auſtrum: neque eis, quæ Solem ex Oriente, & quæ eundem Occidentem ſpectant.

Vrbes enim, quæ benè ſitæ ſunt ad Ventos, & Solem, & aquis bonis vtuntur, non ſunt adeò morbis, & continuis alterationibus ſubditæ.

Quæcumque Ciuitas ad Ventos ſita eſt calidos, à frigidis .ſ. Septentrionalibus protecta, Aërem habet immutatum ad calidum.

Quę verò aquis paludibus vtuntur, & malè ſitæ ſunt ad Ventos, & ad Solem, peiorem ſentiunt Aërem, ſed ſi ſicca fuerit Aeſtas, vt eſſe ſolet, citiùs ſedantur morbi, quàm alibi.

Quæ quidem ad Orientem Solem ſitæ ſunt, eas par eſt eſſe ſaiubriores his, quæ ad Septentrionem conuerſæ ſunt, & his, quæ ad calidos Ventos ſitæ ſunt; etiam ſi ſtadium ſolùm interſit. & rationem ducit Hipp. lib. de Aëre, aquis, & locis, quia moderatior eſt caliditas, ac frigiditas; prætereà aquas, quæ ad Solis ortum ſunt, omnes ſplendidas eſſe neceſſe eſt; Sol enim emergens, & illuſtrans ipſas caſtigat; Matutinum enim tempus ipſe Aër, vt plurimùm ſemper occupat, & hominum formæ boni coloris ſunt, & magis floridæ, &c. vt poteſt videri apud Hipp. in lib. de Aëre, aquis, & locis. Alium etiã ſitũ poſſunt habere Ciuitates, vt patet eodem loco; Et vario modo etiam ad qualitates actiuas, & paſſiuas, manifeſtas, & occultas tendunt; vt perbellè dicit Hippo-

cra-

crates citato loco. ſed hæc de ſitu in communi ſatis ſint; reſtat, vt dicamus quomodò varietur Aër Beneuentanus ex ſitu.

CAP. XV.

De mutatione Aëris Beneuentani ex Situ.

DICEBAMVS in deſcriptione ſitus Geographi Ciuitatis Beneuentanæ ipſã reperiri in 41. gradu longitudinis, & 41. gradu, & 20. m. latitudinis, in 5. Climate, & in 13. Parallelo, pro quo dicebamus Aërem quodammodo eſſe temperatum; & tandem diximus quales ſint Beneuētani, quo ad corpus, & quo ad animi mores propter vim, ac efficaciam ſitus: & propterea ne idem ſæpiùs repetamus; de mutatione Aëris ratione ſitus Geographi hactenus. De ſitu verò Chorographo ſatis etiam dictum fuit in cap. 5. reſtat ſolùm vt dicamus quomodò varietur Aër ex tali ſitu.

Quoniam prima fronte Beneuentum in loco concauo, pratenſi, montibus circumfuſo, & Aeſtuoſo eſſe apparet; Ventoſque calidos magis ſentire, quàm frigidos, atque aquis non leuibus, ac ſplendidis vti; cùm Aër matutinum tempus, vt plurimùm occupet, qui aquæ immixtus claritatem eius diſperdit; Sol enim priuſquàm eleuetur non illuſtrat, atque Aeſtate manè quidèm auræ frigidæ ſpirent, & ros dedicit, & Sol in die ex meridie, quammaximè Incolentes percoquit; ſitui morboſo poſitum eſſe omnes

omnes diiudicabunt; ſed ita non eſt; diximus enim Beneuentum in loco nõ eſſe concauo; ſed in plano, atque eius caput in humili, ſupinoque Colle declinare.& licèt ſit circumfuſum Montibus, cùm diſtinguant ab illis, dulcia, ac lata arua;ita vt non impediantur hyeme radij Solares aërem illum illuſtrare, ac temperatum reddere, nec propter præſentiam Montium vniuntur, vt feruens in Aeſtate reddatur Aër: cùm ipſa Ciuitas propè non reperiatur circumuallata Montibus. præthereà non magis Auſtrales, quàm frigidos Ventos, hæc Ciuitas perſentit;cùm ſit quaſi æqualiter omnibus expoſita, & Auſtrales etiam ratione Montiũ per quos tranſeũt frigidos quoſdam modò ſentit: ita vt ſint minùs inſalubres huic Vrbi, quàm alibi.

Et licèt mane ſit Nebuloſus, adueniente tamèn, vt diximus ſuprà, Sole, ac Ventis ſpirantibus circumcircà agitatur,attenuatur, ac exiccatur Aër.

Non negamus tamen Aërem, matutinum tempus, vt plurimùm occupare: ſed tàm magnum non percipitur detrimentum;niſi quod non aſſuetis accidunt, vt diximus, Branchi, cæteræque ex capite diſtillationes. Alij verò morbi putridi non ita; illa enim Craſſities, & Nebuloſitas non eſt mixta, nec graui, neç putri, nec peſtifero vapore; & propterea non lędit;niſi in qualitate manifeſta,& prima frigida,videlicèt, vel humida, ipſique Beneuentani decolores,atq; infirmi non fiunt (veluti ſunt incolentes in humido aëre mixto cum aliquo prænominato vapore,) vt benè dicit Hippocrates libro de Aëre, aquis, & locis; ſed Beneuentanorum formæ boni coloris

ſunt, & potiùs floridæ; Et quoniam vt diximus authoritate Hippocratis libr. de Aëre, aquis, & locis, hìc, duo Flumina extant,quę ſtagnantes,& pluuias aquas euehunt; Beneuentani ipſi incolumes, ac ſplendidi viuunt. & hæc ſufficiant de Aëris Beneuentani mutatione,ratione ſitus. Reſtat vt ad aliud caput me conferam.

C A P. XVI.

De mutatione Aëris ex vaporibus.

EX Vaporibus à terra, vel aqua eleuatis, aërique immixtis,ipſum variari abundè diximus in capite,de ſubſtantia Aëris in communi, & in particulari; ſed ne ſicco pede, hoc capitulum pertranſeam,aliqua, quæ ad rem faciant breuiter reſtringam.

Et primò, tunc vapores Aërem in aliqua Regione inficere, & prauũ reddere ſuſpicamur,cùm multæ crebræque incenſiones illæ apparent, quæ in ſuprema Regione, euocato hypocaumate fiunt, vt cadentia ſydera, Cometæ, Trabes, Aeges, & id genus; hæc enim putrefactionem circà terram fieri oſtendunt; eaque è fomite vnctuoſo, & lento fiunt; quod accidit potiſſimùm circà putrefactionem: ſed in Regione Beneuentana hæc omnia rarò conſpiciuntur: quarè de vaporibus vntuoſis, & lentis à putredine eleuatis non dubitamus, & per conſequens de

Aëris

Digitized by Google

Aeris prauitate ratione vaporum.

Secundò, tunc Aër ſolet infici tetris vaporibus, cùm in Regione illa, Auſtri ſæpè perflant, & diù incumbunt, & caligine quadam præter modum Regionem illam videmus occupari; ita vt fuſcus, & veluti puluerulentus Aër, Solem diù triſtem reddat. At Beneuentum non perflatur diù Auſtralibus Ventis: ſed potiùs Occidentalibus, & Septentrionalibus: & dato quod perflent ſæpè; tunc non magis Beneuentum, quàm cæteræ offenduntur Ciuitates; imò minùs offenditur; cùm huiuſmodi Auſtrales Beneuentum perueniant tranſeuntes alterati ex frigidis Montibus, Beatæ Virginis appellatis: & licèt caligo ſæpè appareat Beneuenti; cùm proueniat tamèn ex manifeſta cauſſa, tantùm in qualitatibus primis excedente, ſcilicèt ex Fluminum humiditate, abſque aliquo prauo, tetroque vapore admixto, vt diximus; illaque caligo non appareat; niſi matutino tempore; adueniente enim Sole, & Ventis citò reſoluitur; prauum efficere aërem non conſentimus: non negamus tamen fieri humidum, ac quodammodò craſſum, qui continuò incolentibus, parum nocet, non aſſuetis verò, & à tali humiditate ſe non tuentibus ſolet obeſſe, aliquas efficiendo catarrhales diſtillationes.

Tertiò; tunc dubitamus ex aliquo loco poſſe vapores aërem corrumpere; cùm locus ipſe ipſe plurimam inſectorum generationem profert: putrefactiones enim conceptas nunciat, quæ niſi totæ in ea animalia abſumptæ fuerint, facilè ex eo vapores eleuati Aërem inficiunt: vt ſunt in noſtris Regionibus lo-

Digitized by Google

cuſtæ: ſcilicet in Italia, quarum numerus penè infinitus generatur: ex quo ſignum habemus non ſolùm putrefactionem præceſſiſſe: ſed ſæpè nouam fore; depopulatæ enim aliquem ſæpè locum, illic commoriuntur; fitque maxima corruptio, vt euenit in Africa anno 118. propter infinitas eò delatas locuſtas, ibique emortuas, & in Gallia euenit anno 1364.

Idem eueniſſe legimus anno 1478. in Italia, & propriè in Agro Terrarienſi, Mantuano, Veronenſi, alijſq; vicinis locis; Idem legitur accidiſſe in Apulia; ſed in Agris Beneuentanis nunquam talis, tantaq; fuit inſectorum generatio, nec ad hanc Vrbem hæc animalia perueniſſe ſcimus.

Quartò; Crebri terræ motus in aliqua Regione nunciant Aërem ſæpè infici prauis vaporibus; quoniam exhalatio, quæ intus conciupitur; non ſolùm noxium quoddam acquirit; ſed etiam gignitur ex maxima putrefactione, quæ ſub terra fit, qui terræmotus, & ſi alibi ſæpè fiant, vt Puteolis, in Helleſponto, & Sicilia, viciniſque locis; Beneuenti autem nunquam vel rarò; ibi non mare fluidum, aut Regio fungoſa, laxaque, & cauernarum plena reperitur. quarè ex vaporum mixtionibus hunc Aërem non eſſe prauum affirmamus; niſi dicamus ex vaporibus eleuatis craſſum, & nebuloſum fieri; ſed de hoc ſatis dictũ fuit in c.6. vbi de ſubſtantia aëris Beneuentani loquuti ſumus. & hæc de mutatione Aëris ex cœleſtibus cauſſis, ventorum impetu, temporum mutatione, ſitu, atque vaporibus, dicta ſufficiant. Reſtat ſolùm vt de terræ, aquarumque Beneuentanorum qualitatibus diſſeramus.

Digitized by Google

CAP. XVII.

De Terra Beneuentana, eiuſque qualitatibus.

TRIA dicebamus requiri ad perfectionem Situs: optimum, videlicèt Aerem; fertilem terram; tenues, recenteſq; aquas. abundè diximus de Aëre, remanet, vt dicamus de terra, & aqua. Terra teſte Galeno, & Auicenna eſt Elementum ſimplex cuius locus eſt vniuerſi centrum, vbi naturaliter quieſcit ad ipſum tendens ſeparata; cuius quidèm natura, cum grauitate abſoluta ſicca eſt in ſummo, & frigida, & hæc diuiditur in tres tunicas, ſiuè partes. Quarum vna eſt inferior circà centrum, quæ propinquior eſt ſimplicitati. Alia eſt ſuper hanc ſituata, ſimilis exiſtens luto, in quam defluunt aquę; ſuper iſtam quoque eſt tertia veluti terræ facies, quæ in tectam Mari diuiditur, & detectam illi eminentem. Hæc vltima pars, quæ terræ facies appellatur, varijs in locis vario, modo reperitur: in vno enim loco adeò eſt humido macerata, vt lutum appareat, & dicitur lutoſa terra, in qua vites, ficus, oleas, aut aliam quamuis arborem plantare aptè non poſſumus; cùm eis nutriendis reddatur inepta. Alibi apparet lutum viſcoſũ, ac lentũ, & hęc terra pinguis vocatur, quæ vtiq; omninò, & atra colore eſt; Tritico apta, Hordeo, leguminibus cęteriſq; frugibus;

bus; Alio in loco friabilis, & pinguitudinis expers reperitur, atq; Argilla appellaturquæ quodãmodò cãdidior eſt: ſæpè aliæ in medio harum ſunt, alteri, atque alteri magis accedentes; Aliæ verò pari interuallo diſtant ab vtraque; Aliæ ex commixtione diuerſi generis corporum Lapidoſæ, Arenoſæ, &c. habentur, vt patet per Gal. lib. 9. de ſimplicium medicamentorum facultatibus; c. de differentijs Terræ. Ex ſupradictis autem, quædam venenoſiores, quædam humidiores, aliæ dulciores, aliæ ſicciores, aliæ aſperiores, & innumeræ aliæ, aliter ſe habent; innumerę enim ſunt in ipſa Terra facultates. Ampliùs quædam nudæ ſunt, & aquis carentes; quædam denſæ, & aquoſæ, quædam concauæ, & Aeſtuoſæ; quædam altæ, & frigidæ, &c. His ſic ſtantibus dicimus eos, qui terram incolunt fertilem, eiuſque fructibus habitantibus, alimentum opiparè præbentem, ita vt alieno auxilio non indigeant; optimo frui genere Terræ, apud omnes in confeſſo haberi: Terra enim omnium mater, omnium nutrix, origo, & elementum, eſt à Cœlo genita teſte Hippoc. libr. de nat. humana con. 1. alioquin non eſſet bona mater ſi filios produceret, ac productos alere non poſſet; Et propterea illa pulchra picturæ Ciuitatis imago à Democrite Summo Architecto diligenter deſcripta, ac delineata, vbi Montem Atum appellatum, in hominis figura depingens, vna manu Ciuitatem ſubſtinentis; Altera verò Crateram, ad quam omnia flumina tendere videbãtur habentis; ab Alexandro Magno Viro Prudentiſſimo non fuit approbata; Illa enim Ciuitas; licèt ſic deſcrip-

ſcripta, egregia, celſaque videretur, propter excellentiam ſitus, ac concurſum ex varijs partibus, mediante nauigatione ad eam; cùm tamen ſit lætis aruis, fertilibuſque agris deſcribatur; inepta Ciuium habitationi habetur; Alieno enim indiget auxilio, & eduliorum genera, mediantibus nauigationibus expectare oportet, cùm multoties Ventorum impetu retardata, & ab inimicis opprimuntur, & rapiuntur, Beneuentum verò Terram habet omni virentium genere redundantem, eamque neque aridam, neque argilloſam, neque lapidoſam, & arenoſam; ſed differentias ſanè habentem, ſecundùm propriam rationem; frugibus omnibus, vitibus, oleis, cæteriſque Arboribus aptam, lata Arua, fertiles Agros, dulcia denique prata; pecoribus, & hominibus vberrimum pabulum præſtantia; ac ſi perbellè, omnia quæ diximus, in Capite de ſitu Chorographo conſiderentur Beneuentanã Terrã omnibus ferè bonis conditionibus eſſe refertam inueniemus. Quarè quod dixit Plinius de tota Campaniæ Regione, Beneuento amptiſſimè poteſt tribui, ſcilicèt ſummum eſſe Liberi Patris; & Cereris certamen, cũ præ cæteris panem, vinum, & oleum abundè producat. Hæc de Terra.

***

C A P.

CAP. XVIII.

De Aquis.

CVM neceſſarium ſit diligenter perſcrutari teſte Hippoc. in lib. de Aëre, Aquis, & locis. quomodò ſe habeant Aquæ circà Terram aliquam, nùm ne paluſtribus Incolentes vtantur, & mollibus, aut duris, vel ex ſublimi loco prolabentibus; & ſcaturientibus ex petris, ſiuè ſalſis, & crudis; Propterea poſt nonnulla dicta de Terra; nonnulla mihi propoſui dicenda de Aqua, & quomodò ſe habeat circà Beneuentanam Terram, & præcipuè circà Ciuitatem.

Aqua eſt corpus ſimplex, cuius locus naturalis eſt Aërem, & Terram; cum vno enim Elemento humiditate; altero verò frigiditate conſentit; frigida natura, & humida cùm grauitate comparatiua. Eiuſque Aquæ triplex eſt materies, vna quidem congregata, Mare conſtituens, & maximè Oceanum appellatum; nam hic locus eſt proprius Aquarum; & ideò quidam dixerunt in eius medio fore Aquam ſimplicem, puram, & inſipidam.

Eſt & alia in cauernis Terræ, & Montium præcipuè retenta, diſcurrens motu quodam impulſiuo ſub ipſis.

Eſt & alia fluminum ſuper faciem Terræ effluens.

Hæc Aqua permutatur ſecundùm naturam Terræ

pre-

Digitized by Google

præcipuè, atque etiam Aëris, in quibus moratur, & tranſit; & cùm vi ignis diuerſo modo afficiatur, variaſque accipiat facultates; veluti ſulphuris, bituminis, aliarumque huiusmodi rerum: neceſſe eſt, vt quæ per eas, aquæ colantur, facultates illas participando, alium, atque alium acquirant ſaporem, atque colorem.

Quamobrem Peruſinæ Aquæ; quia cum nigro Bitumine permixtæ ſunt; & fœtent, & quodammodò nigræ conſpiciuntur. Aliæ etiam ſunt Aquæ colore lactis, quas Romani albas appellarunt, quæ Creta, vel aliquo albo, vt gypſo, alumine, & ſulphure permixtæ ſunt: talis Oaxis Scithiæ fluuius eſſe dicitur.

Danubius ſeri colore eſt, qua parte Vindeliciam, Noricum, & Germaniã diuidit. aliæ Aquæ luteæ ſunt, vt Ochra Saxoniæ. aliæ virides, vt in Carpatho Mõte, & in Aprutio, & aliquo modo Rhenus: & ſic de alijs. Prætereà veluti Aqua colores ſuſcipit; ita etiam & ſapores; vndè plurimæ reperiuntur Aquæ varijs in locis, varijs affectę ſaporibus: & ſic dicebat Hippoc. in lib. de Aëre, Aquis, & locis. quòd quæ ſalſæ ſunt, crudæ, amaræ, duræ, paluſtres, lacuſtres, vel glaciatæ; ad hoc quidèm, vt eas omnes bibant, non ſunt bonæ. aliquæ tamen ſunt naturæ, & morbi, quibus tales Aquæ in potu commodæ ſunt, & de iſtis non oportet, vt plura dicam; tangam verò aliqua, iuxtà mentem Hippoc. de aqua optima. optimæ ſunt Aquæ ex ſublimibus locis, ac Terreis Collibus fluentes; Hæ enim & dulces ſunt, & albæ, & vinum modicum ferre poſſunt, & Hyeme cali-

dæ fiunt; Aeſtate verò frigidæ nullam prorſus qualitatem, guſtu, aut odore præ ſe ferunt, bibentibus iucundiſſimæ, viſuiq́ue puræ, ſtatimq́; ex Hypocundrijs deſcendunt: tales enim fuerint ex profundiſſimis fontibus; maximè verò laudantur, quæ fluunt ad Solis exortus, & præſertim ad æſtiuos, & illorſùm erumpunt; ac tandem quæ perleues ſunt ſaluberrimæ habentur; vndè verſus.

Sic Aqua clara fluat, qualis nitidiſſimus Aër:
Dulcis, & exigui ponderis, & gelida
Et tenuis currat, nullo puriſſima limo;
Sitque ſapor nullus, ſit procul omnis odor.
Frigeſcat breuiter, modico ſimul igne caleſcat
Vtilis, & duris apta leguminibus.
Hanc mihi ſiquis Aquam dederit, vinoſa valete
Pocula: nam vincit optima lympha merum.

Ex dictis ergo concludamus in Regione Beneuentana optimas erumpere aquas; verùm cùm Regio in ſe ſit differens pœnes ortum, & Occaſum, pœnes Colles, Montes, & Planitiem; propterea magis, & minùs ab optima natura recedunt; licèt in tota Regione potabiles, ſuaueſque reperiantur: ſed præcipuè eas laudare oportet; quarum fluxiones ad Solis exortus præſertim æſtiuos erumpunt, vt ſunt quam plurimæ earum, quæ in delicato, frugifero, vineiſq́ue referto Colle, quem Montem Caluum appellant, qui ſublimis locus eſt, & Terreus Collis, vergens

gens quodammodò ad Solis exortus, præcipuè æſtiuos, ex quo optimas erumpere aquas clarè conſtat apud Hipp. Sic etiam in quamplurimis locis ſaluberrimæ reperiuntur, & vberrimæ fluunt: Et præcipuè in ſaluberrimo Colle, quem Pinum noſtrates appellant. Et adeò omni ferè praua qualitate carent, occulta, videlicèt, & manifeſta; vt adhuc per tot Annorum ſæcula, non reperiatur Beneuentanis accidiſſe morbos aliquos Endemiales, ſiuè communes ratione Aquarum, quibus pro potu vtuntur; veluti plurimis in locis continuò accidere videmus. Aliquibus enim marceſcunt dentes, aliquibus naſcuntur teſtudines, quas illi in capite habent, & Talpam vocant: Hi in Collo, & Bocciam appellant: iſti in teſticulis, & Herniam dicunt: aliquibus in locis ratione Aquæ, omnibus ferè calculus in cauitate, vel in ſubſtantia renum gignitur; Beneuenti autem incolentes optima fruuntur valetudine, ac decenti membrorum compoſitione, eorumque debita coloratione. Sunt pręterea duo flumina, quibus licèt non vtantur Beneuētani pro potu, ſunt tamèn eorum Aquæ claræ, limpidæ, & ab omni ferè praua qualitate alienæ, & hæ magnam Ciuibus commoditatem præſtant: eis enim ardente Syrio irrigantur pingues horti, molæ frumentariæ circummouentur; ac tandèm in eis varia piſcium genera in diem capiuntur, quibus Ciues ipſi verno Ieiunio, cæteriſque vigilijs, magna guſtus ſuauitate fruuntur, & ſiceodem tempore proprijs vtuntur, & alienis, qui ex mari 30. miliaria diſtante continuò deferuntur.

Digitized by Google

Quarè, qui Beneuentanum ſitum, ſiuè Aërem, prauum eſſe contendant, vel ignorant hæc viua, ac vaga noſtra Flumina; muſcoſos, ac liquidos fontes; virentes, apricoſque Colles; viridiſſimas gramine ripas; cultas planities; mollia, formoſaque prata; ac ea omnia, quæ diximus in cap. 5. vel ſi hæc omnia eis nota fuerint, & adhuc contrà noſtrum Aërem, ſitumque Beneuentanum ſæuiunt, tanquàm noſtræ liberæ Ciuitatis acerrimus hoſtis, ac amens forſan erit habendus. & hæc de Situ, ac Aëre Beneuentano dicta ſufficiant.

* * *

Digitized by Google

IO. CAMILLVS PEROTTVS
Beneuentanus V. I. P. Egregio Ioanni Nicolao Euſtachio S. P. D.

NE egregiè facis (egregie Euſtachi) cùm egregios animi tui theſauros exponis; quæ enim eſt in abſconditis diuitijs vtilitas? nulla profectò. quorſum quæſo eſſet, ſi nauis præcioſiſſimis onuſta mercibus vagaretur per vndas, nunquam dirigeret proram ad lictus, admoueret puppim nunquam, nunquam ea, quæ continet bona exponeret; fruſtrà certè toto orbe conquiſitas opes comparaſſet, ſi eas aliquando non daret in publicum. En tu id egregie facis, cœlo, terraque collectas diuitias, educis in commune emolumentum; pretium habebis, quale docet tuum laborem, qui nullo alio, quàm ſe ipſo contentus eſt: eſt enim ipſa tibi præmium virtus, quam deindè immortalis à tergo conſequetur gloria: nec timebis inuidos æmulorum inſultus; ſatis enim eſt præſidij in virtute ad omnes cuiuſcumque perpellendas iniurias. quid illa non poterit? Si cùm Illuſtriſſimi Cardinalis Arigoni præſidio iungetur; ſed iungetur, ſumma cum Bonorum voluptate, & improborum dolore; tu perge, vt facis, & tuam virtutem vlterius impelle: ſeù ſine, vt illa te ad Cęlum vſque (vt cupio & volo) extollat. Vale, & viue diù fœlix, &c.

QVid ſibi vult Virgo: aurato quid virga metallo
Frondens, Aenea, quo duce; quouè meas?

Te

Te vocat, ab Patris pietas ad mœnia Ditis.
Hæc pete cum virga; & virgine vate loca:
Te vocat Euſtachi Cœlum ad templa cupido
Laudis: at aëreum, quo duce, carpis iter?
Sed duce Troiano pergas fœlicior: ille
Infernas; Cœli nam petis ipſe domos.
Ille iter ingreditur ductu per inane Sibillæ.
Ipſe Iouis ductu Alitis inſequeris.

VRBI CELEBERRIMAE BENEVENTI Hieronymus Tomaſius Medicus, & Phyſicus Neapolitanus.

LAus, merces, & bonor, veri tria pignora amoris
Quæuè boni nomen omnis Vrbs retines.
Iſta tuo Euſtachio tribuas tria munera Alumno
Qui ſpecimen magni, grande dat ingenij.

DE IOANNE NICOLAO EVSTACHIO Philoſopho, ac Medico inſigni, Horatij Durantij Tetraſtichon.

AEquora deſpiciens Ales, terraſque iacentes
Flammiger, altiuolus, ſurgit ad aſtra Iouis:
Sublimi ingenio Euſtachius, ſic alta Ioannes
Aëra per medium ſydera Νικόλεως.

IMPRIMATVR.

Petrus Antonius Ghibertus Locumten. Gen.

M. Cornelius Tiroboſcus Prædic. Ord. Curiæ Archiep. Neap. Theol.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google